MASTER NEGATIVE
NO. 93-81607-13

AUTHOR:

HENNIG, OTTO

TITLE:

DE P. OVIDII NASONIS POETAE SODALIBUS...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1883]

Master Negative #

93-81607-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hennig, Otto, 1852-
De P. Ovidii Nasonis poetae sodalibus; dissertatio inauguralis philologica quam scripsit... Otto Hennig... Vratislaviae, Typis R. Reidii, [1883]
57 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1883.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/23/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE P. OVIDII NASONIS POETAE SODALIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE VIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXXIII HORA XII
PUBLICE DEFENDET

OTTO HENNIG
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARII ERUNT:
AUGUSTUS KUEHN, Dr. Phil. Collegii Ad St. Matthiam Sod.
BRUNO BEIER, Cand. Phil.

VRATISLAVIAE.
TYPIS R. REIDII.

PARENTIBUS OPTIMIS

S.

Ad studia philologica aggressus cum Ovidii carmina legerem atque relegerem, labor non ingratus mihi visus est, de personis Ovidianis, imprimis de iis quaestionem habere, quos cum poeta illo et amicitia et communi litterarum studio coniunctos fuisse ex carminibus Ovidii intellexeram. Atque in hanc quaestionem, magnam poetarum Augusteae aetatis partem attingentem incubituro mihi primum videndum erat, quo tempore Ovidius coetum poetarum ad Maecenatem convenientium adiisset, ne de iis quoque auctoribus dissererem, qui temporibus illis florerent quidem, quorum autem familiaritate atque consuetudine poeta Sulmonensis non uteretur. Cum Ovidium non ante annum 19. a. Chr. n. in societate illa fuisse ex Trist. IV, 10, 51 sq. eluceat, poetae ei aequales usque ad hunc annum vita iam defuncti in hac commentatione omittendi mihi videbantur. De poetis autem, post annum c. vitam degentibus et Nasonis consuetudine usis quaestionem ita institui, ut primum de epicis et incertis poetis, post de lyricis, denique de dramatum auctoribus agerem.

Priusquam autem ad rem ipsam progrediar, paucis, si placet, fontes commemorabo, quos ad hanc commentationem conficiendam adhibui. In quibus primum locum obtinent carmina Ovidiana, praecipue „Tristia" et epistulae Ponticae, quae maximam rei nostrae afferunt utilitatem. Atque ex epistulis, quamquam omnes diligenter legendae sunt, tamen extrema eminet, quam poeta invido cuidam apud Tiberium aliquid valenti misit. Namque in hac epistula, hominem invidum et suam laudem poeticam detrahentem ut doceret Naso, inter quot quantosque poetas, Romae vitam degens, nomen habuisset, de triginta poetis aequalibus mentionem fecit, qui, quamquam neque nomina neque opera plurimorum ab aliis auctoribus citantur, tamen Ovidii aetate in aliquo honore fuisse videntur. In hisce poetis recensendis Ovidius rationem habuit generis carminum, quae singuli poetae composuerunt. Ac primum quidem vv. 5—27. epicos poetas commemorat, quibus v. 28 unum tantum poetam melicum et vv. 29—31 eos adiungit, qui huic vel illi dramatum speciei operam dederunt excolendae. Quales poetas vv. sqq. adumbraverit Naso, ubique liquido cognosci non potest. Cum autem appareat, certum in enume-

randis poetis ordinem observasse Ovidium, crediderim, eum quoque vitasse, ne idem genus poesis bis commemoraret, non item, ne diversas eiusdem generis species attingeret. Cuius rei eo quoque confirmatae, quod diversae species dramatum generis poesis laudantur, rationem habenti mihi non mirum est, quod etiam elegiarum auctores bis adumbrati videntur. Tantum enim abest, ut Ovidius eiusdem elegiarum generis auctores laudet, ut diversa elegiarum argumenta respiciens etiam poetas separatim commemoret. Itaque non dubium esse censeo, quin poeta v. 32 auctorem quendam elegiarum ad Alexandrinorum carminum exemplar compositorum laudaverit, v. 33 poetam quendam bucolicum significaverit, denique usque ad v. 36 poetam didascalicum carminum genus exercentem et alterius elegiarum speciei auctorem et epigrammatographum adiecerit.

Haud tam uberes fontes, ut Ovidii opera, carmina sunt poetarum Nasoni aequalium, quae ad nostram aetatem pervenerunt. Atque ex carminibus Vergilianis semel tantum „catalecta", quae sub Vergilii nomine circumferuntur, advocanda erant; neque saepius Tibulli elegiae nobis faverunt. Complura Propertio et Horatio debemus, quamquam ne illi quidem nos valde adiuverunt. Propertio enim, ubique fere amatorio poetae, non saepe facultas poetarum aequalium laudandorum sese obtulit, cum Horatius saepius quidem, quam ille, de poetis sibi aequalibus et amicis mentionem fecerit; quorum minima pars ab Ovidio laudatur.

Secundum locum inter auctores, quorum opera nobis praesto erant, Seneca rhetor eiusque filius obtinent, quorum uterque nonnulla fragmenta carminum ab Ovidii sodalibus compositorum servavit. His deinde accedunt Velleius Paterculus, M. Fabius Quintilianus, Martialis, qui cum eorum temporibus sodales Ovidianos, quos nuncupent, in memoria fuisse credibile sit, certiores auctores putandi sunt, quam grammatici, qui opera, quae citant, raro tantum adspexerunt sed plerumque ex aliis auctoribus exscripserunt. In his, qui tertium locum inter fontes obtinent, praecipue nominandi sunt Charisius, Diomedes, Non. Marcellus, Priscianus, Isidorus, quibus pauca atque exigua fragmenta carminum a poetis, de quibus egimus, confectorum debentur.

Praeterea scholiastae quoque ad rem nostram aliquid contulerunt; namque in commentariis Servii et Philargyrii ad Vergilii poemata nonnulla insunt, quae non minus respicienda mihi erant, quam quae apud Porphyrionem et Acronem de re nostra reperiuntur.

Denique, ne quid, quod mihi favere videretur, neglegerem, libellum quoque sub Apuleii nomine traditum et fragmenta de orthographia continentem adspexi; sed vitavi, ne quid auctoritatis ei tribuerem. In hoc enim opusculo nomina omnium fere poetarum, quos Ovidius in extrema Ponticarum epistularum nominat, reperiuntur, ita tamen allata, ut etiam homo, qui Madvigii[1]) acumine careat, illas

[1]) Vir ille doctissimus in opusc. acad. (Hauniae 1834.) pp. 1—32 Apuleii ineptias exposuit.

Apuleii relationes fictas et ex epistula l. tractas esse, facile cognoscat.

Qua de causa cavi, ne Osannum v. d. sequerer, qui in commentario editioni libri l. (Darmstadii 1826) adiecto, novitate rei deceptus, nimium auctoritatis nebuloni illi tribuit.

Praeter hanc editionem libelli Apuleiani ex scriptis virorum doctorum recentioris aetatis Wernsdorfii „poetarum latinorum minorum" tomi I—V praesto mihi erant; neque a re nostra alienae erant Weicherti commentationes „poetarum latinorum etc. vitae et carminum reliquiae (Lipsiae 1830)" et „de Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et scriptis (Grimae 1836)." Deinde rationem quoque habui dissertationis Ungerianae: „de C. Valgii Rufi poematis commentatio (Halae 1848)" et Merkelii commentationum, quas vir ille de Ovidii carminibus optime meritus „Ibidi" Ovidianae (Tristium ed. maior Berol. 1837) et „fastis" (Berol. 1841) praemisit. Magnum quoque fructum ex commentario percepi, quod Woelffelius versioni epistularum Ponticarum (Stuttg. 1858) adiecit, neque minorem utilitatem mihi attulit Haubii dissertatio: „de carminibus epicis saeculi Augusti (Vratisl. 1870)", quae, cum omnes illius aetatis epicos poetas attingat, etiam epicorum carminum auctores inter Ovidii sodales respicit. Praeterea Dinteri „de Ovidii ex Ponto libris commentationem alteram (Grimae 1865)" et M. Kochii „prosopographiae Ovidianae elementa (Vratisl. 1865)" legi quidem, sed nullum fere fructum ex iis percepi, quia alter poetas apud Ovidium laudatos plane omisit, alter obiter tantum attigit.

In expositionibus denique conficiendis quas unicuique carminum generi et, ubi necessarium mihi videbatur, speciei praemittendas esse putavi, praeter historiam Romanarum litterarum Teuffelii et Bernhardyi, vv. dd., (edd. III.) usui erant mihi Paldami opusculum: ‚die Römische Erotik (Gryphisw. 1833), et Gruppi commentatio, quae inscribitur: ‚die Römische Elegie (Berol. 1838).' Denique etiam aliis dissertationibus usus sum, de quibus occasione oblata in adnotationibus mentionem faciam.*)

Jam ad id, quod mihi proposui, transgrediamur.

*) Hac dissertatione confecta, quae, cum in gravissimum morbum incidissem, per quattuor annos in scrinio reservata est, duae quaestiones de Ovidii fautoribus et amicis per Graeberum et Lorentzium publici iuris factae sunt, Atque prior in libello, qui inscribitur „quaestionem Ovidianarum pars prior" (Elberfeldae 1881) vitis operam navavit exquirendis eorum, ad quos singulae Tristium et ex Ponto epistulae missae sunt; alter in dissertatione: „de amicorum in Ovidii Tristibus personis" (Lipsiae 1881.) indagare studuit, quinam poetae amici septemdecim illas in Tristibus elegias accepissent, quae neque ad lectorem qualemcunque neque ad uxorem neque ad Augustum neque ad Perillam neque ad invidum pertinent. Quod viri dd. in rem nostram contulerunt, suo loco commemorabo. Praeterea praesto mihi erant: O. Gruppe: „Philol. Rundschau 1881 pp. 1619 seqq.", et „G. Nickii recensiones dissertationis Graeberianae et Lorentzianae. (Philol. Anzeiger 1882, pp. 193—199)."

Romanorum carminum epicorum (quod genus poesis Romani antiquitus exercere solebant) proprium est argumentorum duplex genus, ita, ut, ex quo tempore de poematis epicis illius populi edocti sumus, duo eorum genera, natura materiae diversa, in lucem prodiisse videamus. Atque alterum genus, quo argumenta ex rebus Romanis sumpta tractabantur, quodque a Naevio poeta bellum Punicum stilo epico persequente primo in medium prolatum est, post Naevium a multis Romanorum poetis studiosissime excolebatur. Nam post hunc poetam Ennius primus in hoc genere carminum epicorum summam laudem meruit. Qui, cum totam Romanorum historiam uno carmine, versu Graecorum heroico usus, tractasset, hoc genus Romanis ita commendavit, ut idem inde ab Ennii temporibus Romanorum proprium esse videamus. Ennii vestigia Hostius „belli Istrici“ auctor pressisse videtur, eundemque secuti L. Accius ed A. Furius res a Romanis gestas „annalibus“ epicis memoriae tradiderunt. Praeterea Cicero quoque consulatum suum et exilii aerumnas carmine epico tractans et Marium panegyrico celebrans huic generi operam navavit. Denique in his poetis P. Terentius Varro Atacinus nominandus est, qui „belli Sequanici“ auctor res a C. Julio Caesare gestas haud peius, ut videtur, epice tractavit, quam Marianas Cicero, quem non tam bonum poetam fuisse, quam oratorem, satis constat.

Praeter hos poetas, qui res domesticas epice tractaverunt, inde a temporibus Livii Andronici erant, qui ad fabulas, quas Graeci poetae complexi sunt, aggressi, eas aut ad verba Graeca verterent, aut suum sequentes ingenium liberius tractarent. Primum locum in iis, temporis rationem si habemus, obtinet Livius Andronicus, qui Homeri Odysseam, versu Saturnio usus, in latinum sermonem vertit. Cui Cn. Matius et Accius Labeo adiungendi sunt, quorum prior Odysseam, alter utrumque carmen Homeri in sermonem vernaculum verbum ex verbo transtulit.[2]) Ex aliis poetis ad epica Graecorum cyclica aggressis Ninnius Crassus „Iliada Cypriam“ sibi proposuit latine tractandam, Fur. Bibaculus „Aethiopida“, denique idem ille P. Terentius Varro Atacinus, quem iam supra commemoravimus, Apollonii „Argonauticis“ vertendis diligenter operam navavit, ita quidem, ut Ovidius hanc versionem vel potius tractationem identidem laudibus efferat.[3])

Quae diversa carminum epicorum genera a quibusdam poetis aetatis Augusteae in unum confusa sunt. Illis enim temporibus exstabant, qui primordia locorum quorundam in Italia sitorum carminibus prosequentes cum externis argumentis domestica coniungerent. Itaque inde ab Augusti temporibus de tribus carminum epicorum generibus suo fortasse iure dici potest.

[2]) Schol. ad Pers. I, 4.
[3]) Am. I, 15, 21. A. a. III, 335. Trist. II, 439.

Sed quamvis varia fuerint argumenta, quae aetate litterarum Romanarum aurea epice tractata sunt, in uno tamen, in laudibus Augutsi eiusque gentis, plurima consentiunt. Namque Octavianus, quem, ut gens sua ad imperium obtinendum quasi divinitus missa videretur, eodem modo, atque Caesarem, originem gentis suae a Troianorum principibus, Troia urbe diruta deorum numine in Italiam ductis, trahere studuisse notum est, cum cognosset, carmina epica eiusmodi argumentis satis pervulgata ad suam suaeque gentis dominationem confirmandam atque stabiliendam nonnihil valere, mirum in modum studiis epicis favere coepit. Cum autem Augusti interesse deberet, se non tantum imperatorem a diis destinatum haberi, sed cum etiam ei, siquidem imperium stabilire vellet, omni virium contentione nitendum esset, ut gratiam apud populum iniret, aut, ut comparatae memoriam sibi servaret, ea carmina epica, quibus bellorum civilium tristes calamitates per Caesarem Augustum sublatae in memoriam revocabantur, rationi atque consilio Caesaris optime congruisse videntur.

Quarum rerum rationem habentibus nobis cognoscere licet, poetis Augusteae aetatis non defuisse potestatem et domestica et externa argumenta carminibus tractandi. Atque carmina ex studio poetarum gratiae apud imperatorem ineundae nata, plus minusve ad Caesaris eiusque gentis laudes spectant. Vergilii quidem Aeneïda, hoc Augusti maiorumque eius praeconium, Caesare urgente a poeta esse compositam Servius[4]) auctor est. Quo cum satis demonstrasset imperator, quantum sua interesset, ut alii quoque poetae in eiusmodi argumentis tractandis versarentur, nonne manifestum videtur, excusationes illas, quas Horatius[5]), Propertius[6]), Ovidius[7]) in medium proferant ad sese purgandum, quod in epica studia non incumbant, ad hoc Caesaris studium ac voluntatem esse referendas, cui se oboedire debuisse hoc liquido profiteantur? Quo minus autem Augustus id a poetis celeberrimis suae aetatis impetrare potuit, ut Vergilio duce laudem suam augendo aliquid ad potestatem confirmandam conferrent, eo magis poetas mediocris ingenii contendentes videmus, ut augustissimi voluntati satisfacerent Caesaris, cuius ex benevolentia in Vergilium apparuit, quantopere epica carmina haberet in deliciis. Itaque etiam viros artem minime profitentes ad eiusmodi studia aggresos esse accipimus.

Atque ex Ovidli sodalibus imprimis Augusto Cornelius Severus[8])

[4]) praefat. ad comment. Aeneïdos.
[5]) carm. II, 12; IV, 15; ep. II, 1, 240.
[6]) II, 1.
[7]) Trist. II, 317 sqq. 327 sqq. 529 sqq.
[8]) Jac. Becker: „Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1848 n. 74 sq. — O. Haube, l. l. pp. 10—14. Wernsdorf l. l. t. IV, pp. 25 sqq. 217 sqq.

morem gessisse videtur, cui ex Ponto misit Ovidius epp. I, 8, ut putatur, certe IV, 2, quique inter epicos poetas aequales ex P. IV, 16, 9 a Nasone recensetur. Severum e gente Cornelia fuisse a (Fabio) Quintiliano inst. or. X, 1, 89, de praenomine quidem tacente, accipimus. Cum in Corneliis plurimi reperiantur, quibus praenomen est „Publius“, Gorallus nostro Severo idem ex coniectura tribuit, utrum suo iure, necne, diiudicari non potest.

Epistulae huic poetae ab Ovidio missae summam quidem in eum familiaritatem spirant; sed tamen, si accuratius comparantur, inter se natura tam diversa sunt, ut eas non eidem amico, sed duobus diversis missas esse opineris.

Namque Ovidius ex P. I, 8 Severi condicionem tantum vitae describit, ita quidem, ut illum virum locupletem fuisse intellegere possimus, sed nihil de studiis eius litterariis affert, nisi forte verba v. 25 „iucunde sodalis“ ad commune litterarum studium spectant. Atqui Cornelius Severus iam iis temporibus, quibus Ovidius Romae consuetudine eius utebatur, laude poetica floruisse videtur, id quod ex Ponticarum epistularum extremae v. 16 colligere licet. Itaque, cum res sic se habeat, neque quisquam, qui Ovidii epistulas legerit, nesciat, poetam Sulmonensem, ubicunque fieri possit, amicorum et studia et fidem amicitiae in se servatam pleno ore laudare, nonne mirum videtur, quod Ovidius hic, laudandi optima occasione oblata, de studiis amici poeticis adeo tacet, tamquam omnino nulla fuerint commemoranda? —

Quanto aliter ex P. IV, 2. Hic Ovidius iam primo versu Severum appellat „vatem magnorum regum maximum“, ita, ut non in dubio relinquamur, quin haec epistula poetae Severo missa sit. Cui allocutioni cum addat auctor, pudori sibi esse, quod adhuc Severi nomen tacuerit, neque ei carmina amici curam testantia miserit, facile ad opinionem ducimur, in epistula supra l. (I, 8) non de eodem Ovidii amico cogitandum esse.

In eadem re Woelffelium l. l. p. 2195 et Merkelium ad Ibin p. 378 iam haesisse video; sed neque huius viri d. coniectura, Nasonem prioris epistulae oblitum esse, neque illius interpretatio, poetam se excusare, quod nondum Severi laudem carminibus paratam celebraverit, difficultatem apte expedire mihi videntur. Nam, ut Merkelio assentiamur, id tamen notandum neque neglegendum est, quod Ovidius ex P. I, 8 de poeta Severo omnino tacet, quae difficultas coniectura Merkeliana non tollitur. Neque enim quemquam opinaturum esse credo, Ovidium epistulam illam scribentem omnino oblitum esse, Severum carminibus compenendis operam dedisse. Hanc dubitationem Woelffelius sublaturus interpretationem supra c. proposuit. Cui quominus astipuler, verbis Ovidianis prohibeor:

„Carmina sola tibi memorem testantia curam
  Non data sunt. Quid enim, quae facis ipse, darem?
Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina Falerno,
  Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?

Fertile pectus habes interque Helicona colentes
  Uberius nulli provenit ista seges.
Mittere carmen ad hunc frondes erat addere silvis.
  Haec mihi cunctandi causa, Severe, fuit“

ex quibus elucet, poetae Severo ante hanc epistulam nullam esse missam.

Itaque mihi placet coniicere, duos in amicis Ovidianis fuisse Severos, quorum alter in poesin non incumberet, quam ob causam Ovidium de eius carminibus mentionem facere non potuisse.

His de Severis praemissis, quibus epistulae missae sunt, transeamus ad quaestionem de Severo poeta instituendam. In qua habenda initium capiamus ex iis, quae ab Ovidio nobis tradita sunt. Ille Severum poetam in ep. c. vatem appellat magnorum regum maximum, quibus ex verbis, praesertim si conferuntur cum ex P. IV, 16, 9 „quique dedit Latio carmen regale Severus“ liquido apparet, poetam, de quo agimus, carmine aliquo res a claris regibus gestas celebrasse. Cui carminum generi carmen illud regale inserendum sit, a Quintiliano inst. or. X, 1, 89 de ordine poetarum epicorum Romanorum agente accipimus. Legimus enim l. l.: „Cornelius autem Severus, etiamsi sit versificator, quam poeta melior, si tamen, ut est dictum ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum.“

Cuius testimonii eiusque nexus cum iis, quae antecedunt, rationem si habemus, in ambiguo esse non potest, quin Cornelii Severi „carmen regale“ carminibus Romanorum epicis sit adnumerandum, atque, id quod verba „ut est dictum etc.“ indicant, a poeta ad finem perductum sit. Alii opinioni Spaldingium in adnot. ad l. c. favere video. Viro enim doctissimo, Bambergensis et Florentini codicum scriptura „ferrenum“ niso, haec continuatio orationis, minore distinctione anteposita, placet: „sed eum consummari mors immatura non passa est.“ Hanc vero opinionem Spaldingii falsam esse, locum diligentius contemplantibus nobis facile persuasum est. Quintilianus enim, si recte loci sensum intellexi, non dicere vult, Severum sedem inter epicos poetas secundam non tenere, quod bellum Siculum omnino non versibus sit persecutus, (quae est Spaldingii opinio), sed potius, quod belli Siculi descriptionem non ita bene sit exsecutus, ut ea cum praestantissimo primo libro suo iure comparari possit. Qua de causa cum recentioribus Quintilianei operis editoribus facere malim, qui Sarpium secuti, verba „secundum locum“ a sequentibus verbis maiore distinctione seiunxerunt et pro lectione librorum manuscript. coniecturam Sarpianam: „Serranum consummari etc.“ in textum receperunt.

Cum laudes Ovidii de „carmine regali“ et Quintiliani de primo libro alicuius poematis epici sibi respondeant, verisimillimum videtur, librum primum a Quintiliano laudatum a carmine illo regali ab Ovidio commemorato non diversum esse. Atque in hac re viri dd.

consentiunt; non item, quinam reges, quorum laudes Severus composuerit, intellegendi sint.

Priusquam ad hanc quaestionem solvendam aggrediamur, primum de fragmentis sub Severi nomine traditis disputabimus, ut primum videamus, quale argumentum tractaverit poeta, et ansam de regibus coniiciendi accipiamus. Atque ante omnia ex fragmentis elucet, poetam domestico argumento operam navasse tractando. Longius enim fragmentum, quo Ciceronis mors lugetur, a Seneca rhetore suas. 6, 26 servatum est. Eiusdem Senecae filius ep. 79, 5 mentionem tantum facit descriptionis Aetnae a Severo compositae, sed non adiicit, utrum haec descriptio carmen sit singulare, an pars tantum maiori poemati inserta. Qua de causa, Jos. Scaliger, vir ingeniosissimus, aliique coniecerunt, Severum auctorem esse carminis de Aetna didactici, cuius 640 hexametri adhuc exstant. Sed locum l. si diligentius adspexerimus, probabilius videbitur, hic non tam de proprio carmine cogitandum esse, quam de descriptione a poeta maiori carmini occasione oblata immixta. Namque una cum Severo, Aetnae laudatore, Vergilius et Ovidius a Seneca nominantur, qui similiter Aetnae describendae operem navaverint, atque poeta, de quo agitur. Cum autem Vergilius in Aeneïdos l. III, Ovidius in Metarmorphoseon l. XV Aetnam celebraverint, haud veri dissimile putaverim, Severum quoque in carmine aliquo, fortasse in bello Siculo, montem illum ignivomum occasione oblata latius descripsisse. Ac ne occasio quidem latet. Appiano enim b. c. l. V. auctore temporibus belli Siculi, a. 38—36 inter Octavianum et Sex. Pompeium gesti, eruptio Aetnae facta est. Cum veri simile sit, idem bellum a Quintiliano l. l. significari, hanc montis ignivomi eruptionem causam fuisse suspicor Severo ad Aetnae descriptionem digrediendi.

Qua re constituta iam inquiramus, utrum „bellum Siculum“ Severi singulare carmen et a „primo libro“ separatum, an partem, fortasse extremam, eiusdem effecerit operis, quod plures libros complexum esse ex loco Quintilianeo colligitur. Sunt, qui „bellum Siculum“ ut proprium carmen intellegant, ob eam, ni fallor, causam, quod Quintilianus non diserte dixerit, hanc belli Siculi descriptionem partem eius operis esse, cuius primus liber antea laudatus esset. Sed equidem ex l. Quintilianeo sententiam contrariam eruere malim. Fabius enim „bello Siculo“ opponens primum librum alicuius poematis, eius titulum non affert, quem me quidem iudice nulla condicione silentio praetermittere potuit, nisi Severus omnino unum tantum opus scripserat, cuius titulus ita notus erat, ut eum in opere commemorando citare supervacaneum videretur. Itaque, si in his mecum facis, concludere nobis licet, „belli Siculi“ descriptionem et „primum illum librum“ partes fuisse unius carminis, de cuius titulo quaestionem nunc habeamus. Atque hanc quaestionem Valerius Probus de dub. nom. § 12 (Keil IV p. 208) optime expedit. Loco enim laudato legitur: „pelagus masculini generis: Cornelius Severus rerum Romanarum libro primo dicit: ‚pelagum pontumque moveri.“ Si igitur

„res Romanae“ titulus est carminis Severiani, verisimillimum est, librum primum a Probo c. eundem esse, atque librum primum, quem Quintilianus summa laude prosecutus est, neque igitur diversum a carmine, quod ab Ovidio „regale“ appellatur.

Qua re constituta, nunc redeamus ad id disserendum, quinam reges Romanorum sint intellegendi, quorum res gestas poeta, de quo agitur, optime celebraverit. Duae de hac re sententiae circumferuntur, ab Haubio l. l. et a Weicherto, de Lucii Varii etc. p. 150 sq., cui Jac. Beckerus astipulatur, in medium prolatae. Atque Haubio persuasum est, poetam nostrum ab Aenea orsum, primo libro Albanorum et Romanorum reges summa arte enumerasse et per rei publicae liberae aetatem, summatim tantum perstrictam, ad ea bella civilia latius enarranda transiisse, ex quibus victor evasisset Augustus, imprimis ad bellum Siculum. Ad quod bellum tractandum fortasse commotum esse eum, primum, quod Augustus ipse Suetonio vit. Aug. c. 85 teste, hexametris versibus unius libri carmine, cuius argumentum et nomen fuisset „Sicilia“, huic rei operam navasset, et fortasse, occasione oblata, res a se gestas breviter attigisset, deinde, quod Augusto gratum fuisset, si origo gentis suae cum regibus Albanis conecteretur.

Quamquam in causis, quibus Severus ad bellum Siculum latius celebrandum permotus sit, cum Haubio convenio, neque Augusti studium ac voluntas originis gentis suae ab Albanorum regibus deducendae me fugit, tamen de argumento primi libri a partibus viri d. stare nolim.

Namque ea re omissa, quod etiam rei publicae liberae aetate multi erant Julii, qui, cum summos honores adepti essent, in carmine ad laudes Augusti eiusque gentis spectante non obiter tantum commemorandi fuissent, ne versu quidem Ovidiano (ex P. IV, 16, 9): „quique dedit Latio carmen regale Severus“ ab Haubio imprimis ad suam opinionem confirmandam advocato cogimur, hic de Latii priscis regibus cogitare. Namque haec verba nihil aliud esse, quam paraphrasin poeticam pro: „qui Romanis dedit carmen regale“, satis in aperto est. Huc denique accedit, quod Ovidius, si res ita esset, ut Haubio placet, nihil habuisset causae, cur carmen Severi de regibus tamquam primum eius generis praedicaret, quoniam Ennium de regibus Latii optime egisse omnes litterarum periti non ignorabant.

In quibus si mecum facis cum Weicherto et Beckero reges intellegendi sint principes, auctores bellorum civilium, de quibus Severum versus fuisse belli Siculi tractatione indicatur. Primas autem in bellis civilibus partes agentes nomine regum appellatos esse,[9] optime docet J. H. Vossius ad Verg. Eclog. VI, 3, qui contra Servium ad hunc locum rectam sanamque interpretationem defendit. Itaque

[9]) De usu vocis „regis“ a poetis adhibitae ad homines nobili loco magnisque divitiis significandos cfr. Horat. c. I, 4, 14; II, 14, 11; II, 18, 34. Sat. I, 2, 86; II, 2, 45; Epist. I, 10, 33. A. P. 434.

si illos „reges“ ad „carmen regale“ referimus, Beckerus recte opinari videtur coniiciens, Severum turbulentissima bellorum civilium tempora stilo epico esse persecutum inde ab Octaviano ad rem publicam accedente usque ad bellum Siculum, quo Augustus, cum duos superasset adversarios, ad tertium profligandum, Antonium, se corroborasset. Quae opinio mihi eo magis arridet, quia Quintiliani quoque locum ei non repugnare video. Rhetoris enim verba: „vindicaret sibi iure secundum locum“ (sc. post Vergilium) ad Vergilii imitationem, etiam quod argumentum attinet, referri possunt. Ut enim Vergilius bella Troianorum principum vel Augusti maiorum cum incolis Latii veteris ante Lavinium conditum gesta celebraverat, quae urbs primum civitatis Romanae fundamentum dici potest, ita Severus bella descripsit ante rem publicam per Octavianum renovatam iterumque conditam. Quod argumentum, Vergiliano haud dissimile, tam bene tractavit, ut secundo loco inter poetas Romanorum epicos dignus habitus esset, nisi in extremo opere sibi dissimilis esset factus.

Denique restat, ut inquiramus, quo carminis loco fragmentum illud „de morte Ciceronis“ aptissime inseratur. Atque Haubio placet, fragmentum l. particulam „belli Siculi“ esse, quod inter Ciceronis mortem et bellum contra Sex. Pompeium gestum non longum temporis spatium intermissum sit. Quamquam opinari licet, belli Siculi descriptionem non in singulis versibus tam debilem atque ingenio poetae indignam fuisse, quae non hic vel illic melior fuerit ac pulchrior, tamen traditioni plus auctoritatis concedam, quam opinioni. Itaque si Quintiliani iudicium respicere volumus, fragmentum illud perpulchrum summamque facultatem poeticam prodens, potius primo libro inserere debemus. Neque hanc opinionem Haubii argumentatione refutatam video. Veri simillimum enim videtur, res omnes ab Octaviano usque ad Antonium devictum gestas a poeta celebratas esse; itaque Severus ne Philippense quidem bellum a. 42 gestum silentio praetermiserit. Quod si ponamus, nec non probabile putemus, poetam res non obiter tantum attigisse, sed latius explanasse, id quod descriptione Aetnae confirmatur, fragmentum l., siquidem Severus de singulis rebus gestis suo tempore mentionem fecit, argumento longius distat a Siculi belli temporibus, quam Haubius censet; namque hae carminis partes (sc. fragmentum de morte Ciceronis et belli Siculi expositio) descriptione belli Philippensis interposita seiunctae erant.[10]) Itaque unius libri particulas eas fuisse vix crediderim.

De Cornelii Severi studiis epicis satis dictum est. Huic poetae ex poetis ab Ovidio laudatis Rabirius aptissime adiungitur, qui ad

[10]) Praeterea fragmenta carminis Severiani servata sunt a Seneca suas. II, 12, a scholiast. Pers. I, 95, a Charisio p. 80, 7 sq. p. 81, 16 sq. 86, 7 sq. 100, 24 sq. 107, 29 sq; a Diomed. p. 378, 2 sq. Apud eundem auctorem p. 374 Beckerus l. l., loco Priscianeo X, 546, 21 advocato, Cornelii Severi nomen defendit atque coniicit, res eius Romanas octo libros complexas esse. Sed, cum fragmentum l. non ad certos elegantesque versus redactum sit, probabilius videtur, de Cassio Severo hic cogitare.

continuationem carminis Severiani agressus esse vulgo putatur. Rabirius quoque ab Ovidio ex P. IV, 16 (5) in iis poetis recensetur, quibuscum Romae consuetudine et communi litterarum studio coniunctus erat. De praenomine huius poetae omnes veteres auctores tacent, cum Apuleius § 10 ei nomen „Gai“ tribuat. Sed cum supra dixerim, Apuleium iis nebulonibus adnumerandum esse, qui libellum ad voluntatem fictum ut ex optimis fontibus veterum deductum nobis imponere velint, nomini ab eo poetae dato nihil auctoritatis tribuendum est. Atque vix crediderim, Apuleium aliam habuisse causam, cur Rabirio praenomen Gai inderet, quam quod Rabirium illum, cuius rem Cicero a. 691 a. u. c. egerit, idem praenomen habere vidit.

De praenomine Rabirii eiusque vita a veteribus auctoribus destitutis nobis in eo acquiescendum est, eum fuisse poetam cum Ovidio aequalitate studioque litterarum coniunctum. Atque Ovidius quidem, antiquissimus de Rabirio poeta auctor, eum ex P. IV, 16 (5.) in poetis epicis recensens ob sublimitatem dicendi, ut videtur, „magni oris“ appellat, quod Ovidii iudicium, ex quo carmina Rabiriana ob orationis pulchritudinem magis, quam ob sententias veri poetae ingenium prodentes in laude fuisse videntur, Quintiliani quoque testimonio X, 1, 90 comprobatur, Rabirium una cum Pedone commemorantis et utrumque significantis „poetam non indignum cognitione, si vacet.“ Haec, quae modo attuli, testimonia non tolluntur Vellei Paterculi laudatione, qui II, 36, poetam, de quo agimus, cum Vergilio carminum principibus sui aevi ingeniosissimis adnumerat, sed Varium, Horatium, Propertium nulla voce attingit.

Gravissimus auctor, cui argumento Rabirius operam navaverit epice tractando, Seneca f. est, qui de benef. VI, c. 3, 1 haec dicit: „Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, cum fortunam suam transeuntem alio videat, et sibi nihil relictum praeter ius mortis, id quoque, si cito occupaverit, exclamare: „hoc habeo, quodcunque dedi.“ Cum non dubium sit, quin Seneca l. l. id momentum adumbret, quo Antonius suos classiarios ad adversarium transeuntes viderit, neque ignoretur, transitum illum in pugna Actiaca factum esse, pro explorato nobis habere licet, Rabirium pugnam Actiacam et fortasse totum bellum, quod vocatur Actiacum sive Alexandrinum, versibus celebrasse.

Itaque, cum haec coniectura summam prae se ferat probabilitatem, optimo iure viri docti opinantur, fragmenta eiusmodi argumenti in volumine quodam Herculanensi inventa Rabirio esse assignanda, quippe qui argumento fragmentis illis prodito operam dedisse videatur. Quamquam ex fragmentis l. lacunose traditis de totius carminis dispositione nihil eruere possumus, tamen id apparet, quod iam Kreyssigius[11]) monuit, res extremo mense Quinctili a. 30 a. Chr. n. in Aegypto gestas celebrari. Poeta enim — quantum argu-

[11]) Kreyssig: commentatio de Sallusti Crispi historiarum libri III fragmentis cet. p. 184 sq.

mentum cognosci potest, — Cleopatram, Pelusio per Octavianum expugnato, militibusque a Caesare verbis mitigatis, de bello ulterius persequendo cogitantem facit et Antonium laudibus efferentem. Regina autem de suis rebus desperans mortemque servituti praelatura post varia necis genera saepissime in aliis experta secum reputat, sed in genere suae necis eligendo, irridente Atropo, incertam se ostendit. Caesar Octavianus tertio die post Alexandriam per biduum obsessam expugnat.

Quo ex argumento fragmentorum ll. liquido apparet, Augustum gloriae quoque rebus post bellum Siculum gestis sibi comparatae, nactum esse praeconem. Sed ne cognati quidem Caesaris laudatoribus carebant, quorum partes ex Ovidii amicis Albinovanum Pedonem suscepisse videmus. Hunc poetam consuetudine ac familiaritate Ovidii usum esse, cum ex epistula Nasonis ex. P. IV, 10, tum ex Senecae narratione controv. II, 10 cognoscimus. Cum poeta, de quo acturus sum, ab Ovidio Albinovanus et Pedo (ex. P. IV, 10, 4. 65. IV, 16, 6), ab aliis autem auctoribus nude Pedo apelletur, de vero nominum ordine in dubio essemus, nisi Seneca rhetor l. c. plenum eius nomen memoriae prodens difficultatem ita expediret, ut ambiguum non sit, quin poeta Albinovanus Pedo sit appellatus.

De Pedone laudum gentis Juliae praecone inquirentibus nobis ex auctoribus neque Ovidius neque Quintilianus favent. Prior enim de hac re nihil memoriae prodere potuit, quia prius e vita discessit, quam Pedo l. argumento operam impendere potuit. Alter eum obiter tantum una cum Rabirio l. supra c. commemorat, unde nihil elucet, nisi Pedonem ad studia epica incubuisse neque a Quintiliano Rabirio pluris aestimatum esse. Optime autem Seneca rhetor nos adiuvat, qui suas. I, 14 poetam, de quo agimus, magna laude afficit, cum, fragmentum Oceani continens descriptionem exhibiturus, antea de eo dicit: „latini declamatores in descriptione Oceani non nimis viguerunt; nam aut minus descripserunt, aut (nimis) curiose. Nemo illorum tanto spiritu dicere potuit, quanto Pedo, qui navigante Germanico dicit: „iam pridem etc." Hunc in dicendo spiritum poetae nostro in aliis quoque carminibus non defuisse, epitheton „sidereus" indicat, quod Ovidius ex P. IV, 16, 6 ei tribuit, quodque Wernsdorfio p. l. m. IV p. 34 duce ad genus sublime dicendi, quam ad studia poetae astronomica vel astrologica cum Merkelio ad Ibin p. 381 referre malim. Navigatio a Seneca l. fortasse ea est, quam Germanicus, Drusi f. a 16. p. Chr. n. per Amisiam in Oceanum septentrionalem instituit, quaeque a Tacito an. II, 23 describitur. Neque veri dissimile videtur, Pedonem, praefecturam adeptum,[12]) huic classis per tempestatem cladi et omnino toti Germanici expeditioni interfuisse. Itaque aliquid probabilitatis prae se fert vv. dd. coniectura, Pedonem carmine epico res a Caesare gestas celebrasse, et fragmentum c. particulam illius carminis effecisse.

[12]) Tacit. an. 1, 60.

Si iis, quae narravi, id quidem satis comprobatur, Abinovanum Pedonem argumenta Romana epice persecutum esse neque quidquam obstat, quin carminis titulum „res Romanae" fuisse ponamus, contra plane incertum est, utrum eidem carmini cum Haubio fragmentum sub Albini cuiusdam nomine a Prisciano VII, 5 servatum, inserendum sit, an alii auctori tribuendum. Legimus enim l. l.: „cui" quoque inveniuntur quidam dissylabe protulisse per diaeresim, ut Albinus rerum Romanarum primo:

„Ille, cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus non tutae moenibus urbes."

Hunc Albinum diversum esse ab eo, qui res a Romanis gestas graece enarraverit, inter viros doctos non minus convenit, quam, nomen auctoris, qui, cum nusquam reperiatur, plane ignoratur, chartae ab aliquo scriba mendose illatum esse; sed magnopere inter se discrepant, cuius auctoris nomen hic lateat. Ad quod explorandum cum fragmentum ipsum aliquid conferre possit, vv. dd., qui ad hanc rem investigandam ingenium impenderunt, primum argumentum ad hunc vel illum virum illustrem retulerunt, ratione habita eorum poetarum, qui huius vel illius viri res gestas celebravissent. Atque Eggerus, serm. lat. rell. p. 314 hos versus ad Caesaris triumphos spectare opinatus carmen ex iis fuisse putat, quibus universae gentis Juliae laudes post rem publicam eversam celebratae essent. Itaque fragmentum l. partem illius carminis esse arbitratus, cuius exigua pars in volumine Herculanensi supra commemorato exstans Rabirio assignatur, versus a Prisciano servatos et fragmenta Rabiriani operis Albino tribuit. Sed ea re omissa, quod Caesar non ter, sed sexies triumphavit,[13]) veri similius esse putaverim, fragmentum ex auctoris meditatione de condicionum humanarum vicissitudine atque inconstantia fluxisse; itaque cum Vossio de Pompeio cogitare malim, ad cuius celeberrimam ac felicissimam, post autem miserrimam fortunam versus apte referuntur. Huic opinioni Beckerum[14]) quoque favere video, qui contra Eggerum rem vertens et meditationem Octaviano, Antonio devicto sepulcrum Pompeii visenti tribuens, hoc quoque fragmentum eidem quidem carmini, atque Eggerus, inserere vult, sed auctorem statuit Rabirium. Sed viro illustrissimo hoc in medium proferenti tam adversatur nominum scriptura, quae tam diversa est, ut alteram ex altera fluxisse vix crediderim, quam quod, si de Rabirii „bello Alexandrino" cogitandum esset, fieri non potuisset, ut poeta iam in primo libro Octavianum Pompeii sepulcrum visentem et de eius fortuna considerantem induceret, quoniam Beckerus contenderet, poetam iam in primo libro Octavianum victorem Antonii fecisse. Quibus de causis Haubius l. l. p. 15 nulli opinioni favens, nisi, fragmentum illud fortasse ad Pompeium referendum esse, mutationem

[13]) M. Hertz: Jenaer Litt. Z. 1844 p. 726 sq.
[14]) Zeitschrift für Alterthumsw. 1848 p. 597 sq.

nominis auctoris in „Albinovanum" proponit, cum aliis viris doctis eo offensus, quod nullo alio loco nomen auctoris a Prisciano l. c. traditum invenitur.

Quamquam concedo, nec latinitate nos impediri, fragmentum, de quo agimus, auctori aetatis Augusteae tribuere, nec difficilem esse commutationem ab Haubio commendatam, tamen et ob rationem quandam metricam et ob causam ex usu poetae nominandi petitam, cum v. d. non facio.

Quod ad priorem attinet causam, Lucianus Mueller „de re metrica cet." p. 270 docet „cui" a poetis primi saeculi p. Chr. n. dissyllabe quidem, idque pyrrichice, nunquam autem iambice usurpatum esse. Itaque cum res sic se habeat et mensura huius dativi iambica non prius, quam apud auctores tertii quartive saeculi reperiatur, coniectura Haubii aliorumque fragmentum Augusteo saeculo adiudicantium locum non habet.

Huic causae maximi momenti deinde id accedit, quod Seneca, Quintilianus, Tacitus, Martialis, qui de poeta mentionem faciunt, cognomen tantum „Pedo" exhibent, unde, cognomen solum in nominando poeta in usu fuisse, apparet.[15]) Cui non valde adversatur, quod Ovidius ex P. IV, 14 Albinovani nomen per se usurpat. Quod enim nusquam, nisi uno loco, idque apud poetam legitur, nullo modo ad infirmandam sententiam multis exemplis comprobatam advocari potest.

Harum, quas attuli, causarum rationem habenti mihi magis placet, versus supra c. Balbino vindicare. Nam D. Caelius Balbinus „vir eloquentia praeclarus atque poeta inter sui temporis poetas praecipuus",[16]) qui a 238 p. Chr. n. una cum Maximo Pupieno Caesar creatus est, primum temporibus metrica ratione postulatis respondet. Deinde elegantia versuum ll., quae talis est, ut nonnulli viri dd. eos aetati Augusteae tribuant, poetam haud malum indicat, itaque ad laudem poetae a Capitolino l. infra c. tributam quadrat. Denique accedit, quod nomina „Balbini" et „Albini" saepe a scriptoribus inter se confusa sunt.[17]) Quam confusionem apud Capitolinum[18]) aliosque scriptores ad Clodium Albinum et Balbinum pertinere quamquam me non fugit, tamen auctori aut scribae, neglegentia vel rei verae inscientia, accidere potuit, ut etiam alium Albinum litteris nomen habentem cum Balbino confunderet, praesertim cum etiam Albinus Caesar Capitolino Albin. 11, 7 auctore, carminibus meritus fuerit.

Ab hac digressione nunc redeamus ad Ovidii sodales et Pedoni poetam eiusdem gentis adiungamus Albinovanum Celsum, qui et Ovidii et Horatii amicus, ab utroque commemoratur. Ille quidem (sc. Ovidius) eum nusquam laudat, nisi in epistula ex P. I, 9 Maximo

[15]) E. Hübner: ephem. epigraphica II p. 32 sq.
[16]) Capitol. Max. et Balb.: 7, 5.
[17]) Pauly: R = E.[2] I, 2, p. 2243.
[18]) Capitol.: Maximin. 20.

Cottae, ut mihi videtur, missa,[19]) in qua mortem Celsi, amici in se fidissimi, deplorat, eiusque dolorem, quo ob suum ipsius exilium affectus sit, praeclare sic describit:

„Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit in domini procubuitque caput,
Affuit ille mihi, cum me pars magna reliquit,
Maxime! fortunae nec fuit ipse comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam si frater in igne foret.
Haesit in amplexu consolatusque iacentem est,
Cumque meis lacrimis miscuit usque suas."

Hunc Celsum non diversum esse ab Albinovano Celso, cui Horatius epistulam I, 8 miserit, quemque ep. I, 15 nude „Celsus" appellet, viri dd. inter se conveniunt. Cum ep. I. 8 doceamur, poetam de quo agimus „comitem scribamque Neronis" expeditionem in Armeniam facientis fuisse, facile coniicitur, hanc condicionem causam fuisse familiaritatis, quae inter eum et Cottam, Tiberii assentatorem, exstabat. Atque haec amicitia, cum Cottam a partibus Ovidii exsulis stantem vidisset, Celsum fortasse commoverit, ut ipse quoque fidem in infelicem amicum servaret.

Poetam Sulmonensem huic quoque sodali fidelissimo ex Tomitarum urbe epistulas scripsisse, optimo iure coniicitur. Quae autem elegiae in Tristibus Celso dandae sint, inter viros dd. magna est dissensio. Namque Graeberus l. c. p. XXI, qui in hac re vestigia pressit Politiani et Merkelii (Trist. ed. p. 247 et p. 175) epistulas Trist. I, 5 et III, 6. Celso missas esse tum ex usu quorundam verborum cum ex sono ac sententia elegiarum coniecit.

Aliae opiniones ab aliis viris doctis de eadem re in medium prolatae sunt. Atque Lorentzius, l. c. p. 17 elegiam Trist. I, 5 Sexto Pompeio, p. 28 III, 6 Paulo Fabio Maximo missam esse docet, id quod iam antea Kochio l. c. p. 8 placuit; Gruppio autem, Phil. Rundschau I, 1881 p. 1620 sq. Cottam posteriorem epistulam accepisse probabile videtur.

Qua in quaestione a partibus Graeberi stare me iuvat. Primum enim contra Lorentzium et ceteros, qui cum eo faciunt, veri simillimum videtur, Ovidium huic quoque sodali sibi amicissimo et in rebus adversis fidelissimo epistulas misisse, cum poeta exsul erga omnes amicos et sodales pietatem servaverit. Quid autem obstat, quin unam ex his epistulis elegiam Trist. I, 5 fuisse putemus? Argumentum quidem a Graebero ex usu vocis »mitis« petitum, me quidem iudice, nimis subtile est nec satis exploratum; sed elegiae c. sonus ac sententia talia sunt, qualia epistulae Celso datae optime responderent.[20]) Quod argumentum etiam in elegiam Trist. III, 6 cadit a Graebero Celso

[19]) Aliter Teuffelius: litt. Rom.[3] p. 511. Meae favent opinioni Graeberus l. c. p. XIX et Lorentzius l. l. p. 7.
[20]) cfr. Trist. I, 5, 2—15 et vv. 33 sq. cum ex P. I, 9, 11—31.

inscriptam. Quamquam vv. epistul. l. 3 sq. 7 sq. 21 sq. 25 sq. a Lorentzio l. c. p. 29 in medium prolati ad Fabium Maximum quadrare videntur, tamen nulla re nos prohiberi contendo, quin eosdem versus ad Celsum referamus. Ac ne Kochii quidem argumenta (l. c. p. 8), quibus suam sententiam comprobare studuit, in hac re aliquid valent. Primum enim in v. 8 ep. l. non Fabius Maximus — ut Politianus contra suam opionionem voluerat — sed Cotta intellegendus est. Alterum argumentum quod Kochius ex fortuita similitudine versus 24 elegiae, de qua agitur, et versus 66 epistulae Ponticae I, 2 petit, rem minime confirmat et, quod refutetur, vix dignum est. Neque magis Kochium adiuvat v. 19 elegiae l. »tu tamen o nobis usu iunctissime longo« quem v. d. ad Fabium Maximum spectare putat, qui vero aeque bene ad Celsum referri potest. Denique etiam Trist. III, 6, 20 »pars desiderii maxima paene mihi« ad nomen Fabii Maximi alludi Kochio videtur. Sed eo neglecto, quod Ovidius hisce verbis nihil, nisi quantum in se amici desiderium esset, exprimere voluit, hic superlativus eodem iure, quo a Kochio ad Fabium Maximum refertur ad Cottam Maximum referri posset. Sed de hac re hactenus.

Virum, de quo agimus etiam in studia poetica incubuisse, ex Horatii ep. I, 3, 15 cognoscere possumus, non item, cuius generis argumenta tractaverit; neque Horatiani l. l. neque Ovidii eqistula c. ullam ansam praebent, qua usi coniecturam probabilem facere possimus. Id tantum ex Horatii ep. I. 3, 15 colligere licet, eum ex mediocris ingenii fuisse poetis, qui litteras in deliciis habentes, cum ipsi aliquid in medium proferre conantur, in imitatione tantum illustrium poetarum haerere solent. Atque Horatii iudicium de facultate eius poetica silentio comprobatur, quod Ovidius, mitissimus amicorum censor, de studiis Celsi litterariis observat, quodque mihi persuadet, Celsum, amicorum exemplo incitatum, coepisse carmina scribere, mox autem, cum se ingenio carere cognosset, sese a Musis avertisse. Itaque, si res sic se habet et Celsi carmina nunquam in publicum prodierunt, Ovidius nihil habuit causae, cur amici studia litteraria commemoraret.

Ut Ovidio quidem tacente tamen per Horatium compertum habemus, Celsum poetis Augusteae aetatis adnumerandum esse, prorsus autem nescimus, quibus argumentis operam navaverit, ita contra ab Ovidio ex P. IV, 16, 23: „quique acies Lybicas Romanaque proelia dixit“, argumentum carminis ab aliquo sodale compositi, omisso auctoris nomine, adumbratur. Quod ut investigarent, viri dd. summo opere studuerunt. Sunt, qui cum v. c. unum ex tribus bellis Punicis significari putarent, de P. Terentio Varrone Atacino cogitaverint, cum Apuleio nimium fidei habentes, uni ex auctoribus „Terentium Varronem in bello Punico“ citanti, tum censentes, fieri non potuisse, quin Ovidius hunc celeberrimum poetam in recensione poetarum silentio praetermitteret. At Apuleii relationes nauci non esse neque ad quaestionem nostram esse adhibendas, supra iam dixi. Sed ne alterum quidem argumentum quidquam valet. Ex prooemino enim

epistulae ex P. IV, 16 versibusque eius 45 et 46 liquido eltucet Ovidium eos tantum poetas recensere, quibuscum familiaritate aque, studiorum similitudine coniunctus vixerit. Quod si mecum statuas et animo repútes, Varronem Atacinum, id quod Wuellnerus: „de Varrone At. vita et scriptis“ p. 1 sqq. monet, iam anno 717 a. u. c. vita defunctum fuisse, mecum tibi persuasum erit, haud probabilem esse coniecturam supra allatam, quippe quod Ovidius poetam poetis sibi aequalibus immiscuisset, quem aut nunquam, aut puerulus tantum quinque vel sex annorum viderit. Itaque, cum insuper, si „bellum Punicum“ alicuius poetae v. c. significaretur, hoc argumentum nimis obscure ab Ovidio adumbratum esset, in hoc loco interpretando cum Haubio l. l. p. 18 faciam, qui haec verba de pugnis a Romanis eodem tempore contra Libyes et contra Romanos commissis intellegens, bellum a Caesare contra Jubam, Numidarum regem, et contra Pompeianos in Africa gestum ab Ovidio attingi opinatur, quae quidem coniectura optime respondet poetarum studio illius saeculi rerum gestarum proxime ad sua tempora accedentium celebrandarum.

In eadem condicione versamur, si versus ep. ex P. IV. 16, 21 et 22 adspicimus:

„Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina caeruleos composuisse deos,“

quibus verbis carmen poetae in mari describendo validi significatur. Cum Varronem Atacinum libros navales scripisse constet, et veri simile videatur, in hisce maris descriptiones exstitisse, Wernsdorfius[20a]) alii, versus ll. de hoc opere intellegendos esse coniecerunt. Sed quominus Varronem hic commemoratum esse putemus, temporum ratione supra exposita prohibemur. Itaque Merkelius (ad Ibin p. 377.) Pontici nomen, Ovidio amicissimi poetae, hic latere suspicatus, locum sic mutare proposuit: „Velivolique maris nomen cet.“ quae coniectura suo ipsius animo ita arridebat, ut eam in textu editionis carminum Ovidianorum (Lips. 1876) poneret. Qua in re Merkelio concedo quidem, me quoque offendi, quod Ponticus, cuius familiaritate se usum esse Ovidius Trist. IV, 10, 47 sq. testatur, in hac recensione desideratur, atque Nasonis iudicium de carmine amici intimae amicitiae optime respondere; sed viri docti coniecturae assentiri codices me impediunt, coniecturam neque postulantes neque adiuvantes. In hoc quidem cum Merkelio convenio, Ovidium, quem nomen amicorum per ludum libenter circumscribere ex epistulis cognoscas, nostro quoque loco Pontici nomen denotare voluisse; sed, cum res satis clara sit ac locus integer, hoc modo interpretatus, bonum praebeat sensum, coniecturam Merkelianam inutilem esse censeo.

Opinioni igitur Merkelianae de auctore carminis adumbrati favens, non autem coniecturae in textu positae, facere non possum, quin, de argumenti natura Haubio assentiar.

20a) P. l. m. I, pp. 154 sqq. V, 3 pp. 1837 sqq.

Primum enim in aperto est, hic de carmine epico maris descriptionibus insigni cogitandum esse. Cum „velivolus" ut Haubius l. c. p. 19 recte monet, non constans epitheton maris sit, sed maris tantum velis i. e. navibus referti, naves autem imprimis in bello navali congrediantur, eidem viro d. placet, de belli cuiusdam navalis enarratione cogitare, cui fortasse descriptiones maris tempestatibus procellisque funditus percussi insertae fuerint. Atque bellum a poeta quodam epice tractatum ex Haubii coniectura bellum Siculum est, quod iam supra commemorandum nobis erat. Sed quamquam scio, hoc bellum plerumque mari gestum victoriasque in eo a Sex. Pompeio reportatas magni aestimatas esse ab Augusto, tamen in memoriam revocaverim, Octavianum in hoc bello Antonii navibus plurimum debuisse, quibus deficientibus vix victor ex hoc bello evasisset. Itaque si carmen adumbratum ad Augusti laudes spectat, id quod non dubium est, iudicem, pugnam Actiacam, qua ultimum gravissimumque adversarium, Antonium, sine ullo alieno auxilio devicit, aptiorem Caesaris laudandi materiam praebuisse, quam bellum Siculum, in quo, ut prospere a se gereretur, istius inimici auxilio uteretur necesse erat.

Neque coniectura de argumento, ex historia Romana sumpto, opinioni Merkelianae de auctore carminis obstat. Fieri enim potuit, ut Ponticus, Propertio I, 7 teste „Thebaidos" auctor, post mortem demum Propertii ad hoc argumentum aggressus sit.

Quoniam hactenus nonnulla de carminibus poetarum dicta sunt, quorum nomina investigari non possunt, suo loco ii quoque poetae hic inseri mihi videntur, de quibus nihil, nisi nomen, traditum est. Praeter Albinovanum Celsum, quem iam supra commemoravimus, prorsus quoque ignoratur, in quae argumenta ingenium converterit tractanda Numa, quem Ovidius ex P. IV, 16, 10 una cum utroque Prisco laudat, cuiusque carmina, si Ovidio fidem habemus poetam „subtilem" denotanti, simplicitatis atque elegantiae laude floruerunt.

Deinde nihil certi de duobus Priscis ab auctoribus memoriae proditur. Si sedis, quam in recensione poetarum Ovidio aequalium (ex P. IV, 16.) obtinent, rationem habemus, inde, quod inter poetas epicos nominantur, colligere nobis licet, eos quoque in studia epica incubuisse, neque veri dissimile putaverim, alterum utrum poetis panegyricis, de quibus infra disputabimus, adnumerandum esse. Non largius, quam de Priscis, fontes de Mario poeta fluunt, qui a Nasone ex P. IV, 16, 24 haud parvis laudibus effertur:

„et Marius scripti dexter in omne genus."

Cum mirum videri debeat, quod poeta, in omni litterarum genere aliquid valens, tam ignotus est posteris, quippe quibus ne nomen quidem eius plenum nedum fragmenta poematum aut carmina integra tradita sint, M. Kochius in sententiis controversiis, quas dissertationi supra c. adiecit, potius „Varius" scribendum esse coniecit, qui sane tanta laude, quanta Marius afficitur, non indignior, quam ille, fuisset. Sed contra Kochium id primum in memoriam revocandum est, Ovidium

amicitia atque gratiae ineundae studio ductum, saepissime pleno ore eos laudare, qui minorem mereantur laudem, ita ut, huius rei rationem si habemus, Marii laudatio nos minime laedere possit. Deinde etiam codices, in lectione „Marius" consentientes huic coniecturae non favent. Accedit denique, quod novissima epistularum Ponticarum editione per Kornium Lipsiae a. huius saeculi LXVIII publici iuris facta, id iam locum non habet, quod antea Kochianae coniecturae probabilitatis speciem praebere videbatur: Varium in recensione illa praetermissum esse. Quamquam, hoc non factum esse, Kochium iam tum (1865) non fugisset, si expositionem Weicherti: de L. Varrii etc. p. 73 legisset. Quod enim vir d. l. l. monet: in epistulae l. v. 31 pro ‚Varus' ‚Varius' restituendum esse, id Kornius, nonnullorum codicum auctoritate nisus, recte executus est. Neque quisquam contendat, restitutioni a Kornio factae ceteros codices „Varus" exhibentes re vera obstare, cum cogitat, nomina „Vari" et „Varii" saepissime inter se confundi,[21]) deinde, Gracchum, quocum alter poeta consociatur, etiam „Thyestem" scripsisse atque ob eam causam veri simillimum esse, illi „Thyestae" auctori alterum, ad idem argumentum aggressum, coniungi, denique, fieri potuisse, ut Ovidius Varium et videret et nosset.

Namque ex Ovidii narratione Trist. IV, 10, 51:

„Vergilium vidi tantum. Nec amara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae"

eruere nobis licet, Ovidium haud multo ante obitum Vergilii et Tibulli a. 19 a. Chr. n. consuetudine usum esse eorum poetarum, quos et Messalla et Maecenas ad se congregare solebant. Itaque, cum Varius a. demum 14 a. Chr. n. diem supremum obierit, poeta Sulmonensis eum noverat et in poetis aequalibus recensere potuit.

Priusquam autem ad Varium ipsum transeamus, de Montano mentionem facere nobis placet, qui ex P. IV, 16, 11 sq. ab Ovidio laudatur, de cuius autem carminibus nihil constat, nisi, quod l. l. commemoratur: eum et poematis epicis et elegiacis laudem meritum esse. Viri docti, qui in hunc poetam inquisiverunt, inter se fluctuant, utrum Curtius Montanus, Nerone regnante probrosi carminis reus factus[22]) intellegendus sit, an Julius Montanus, quem Seneca controv. XVI, 27 egregium appellat poetam, quique arti rhetoricae operam navasse vulgo putatur. Qua in quaestione iis accedam, qui Julium Montanum a Seneca l. intellegunt, quoniam ille, cum haud longe ab Ovidii temporibus distet, cum maiore probabilitate aequalibus illius poetae adnumeratur, quam Curtius, cui, longiore temporis spatio intermisso, minus recte hic locus tribuitur.

De argumentis carminum epicorum Montani nihil compertum habemus. Minore laude, quam Seneca pater, filius eum afficit ep. 122, 11 memoriae prodens, eum fuisse „tolerabilem" poetam notum et amicitia Tiberii et frigore, eumque libentissime (solis) ortus et

[21]) De hac re videas Weicherti comment: de L. Varii etc. p. 4.
[22]) Tacit. an. XVI, 28.

occasus inseruisse. Quo testimonio facile ad opinionem ducimur, Montanum gratiam apud Tiberium iniisse quidem, sed comparatam carminibus, ut videtur, amisisse, id quod aliis quoque viris poesi deditis illis temporibus accidisse legimus.[23])

Poetis, de quibus hactenus dictum est, eos adiungamus, qui similibus argumentis non epice sed panegyrice tractandis operam dederunt.

In his poetis maximus natu et clarissimus est Lucius Varius Rufus, cuius nomen ex P. IV, 16, 31 cum Kornio restituendum est, cuique ob panegyrica, quae composuit, carmina hic primus locus est tribuendus. Ut Varius iam a Caesaris partibus steterat, cuius mortem carmine epico eum deplorasse nonnulli viri dd. censent, cum aliis probabilius videatur, didactici generis fuisse illud de morte (Caesaris) poema, quo auctor Lucretium secutus, Epicuri de morte sententias explanaverit, — ita eundem post Caesaris necem fidem servantem videmus Octaviano, cuius in rem publicam merita carmine panegyrico celebravit. Ex hoc poemate duos hexametros scholiastae ad Horatii ep. I, 16, 25 servaverunt, testantes hosce vv.

„Tene magis salvum populus velit an populum tu
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Jupiter",

ex notissimo Varii panegyrico in Augustum sumptos esse.

Huius generis poetis inserendus quoque videtur alter uter ex Priscis, quos Ovidius cum Numa poeta coniunctos l. supra l. commemorat. Opinor enim, alterum utrum eorum non diversum esse a Lutorio Prisco, quem carminis panegyrici in mortem Germanici auctorem Tacit. an. III, 49 tradit, quo apud Tiberium tam magnam sibi comparasset laudem, ut a Caesare pecunia donaretur. Sed Tacito l. l. teste, idem ingenium, quo Caesarem sibi conciliaverat, causa mortis factum est. Nam cum in Drusum aegrotantem, ut in hominem vita defunctum, carmen lugubre composuisset, idque domi P. Petronii, multis convivis praesentibus, legisset, delator quidam Prisci audaciam renuntiavit Tiberio, quo nescio atque, ut videtur, invito, poeta, conventu de eo habito, a. 21. p. Chr. interfectus est. Itaque, cum proxime Priscus ad Ovidii tempora accedat, neque veri dissimile sit ob praestantiam carminis lugubris in Germanici honorem, eum iam antea poematis operam navasse condendis, quoniam nemo primum versus faciens perfectus poeta est, eum optimo iure poetis Ovidio aequalibus et fortasse eidem sodalicii iure coniunctis adnumerari posse putavi.

Sed de Nasonis contubernalibus ad argumenta domestica aggressis sat multa dicta sunt. Iam transeamus ad eos, qui fabulas graecas sibi proposuerunt tractandas, quique numero haud minores sunt, quam, quos hactenus commemoravi. Atque ad hanc speciem carminum epicorum viri facultate poetica praediti imprimis Augusti in

[23]) Tacit. an. VI, 9. Dio LVII extr.

eius modi carmina benevolentia adducti sunt, deinde autem Vergilii auctoritate, cuius praeclaram formam versuum ad similia argumenta epice tractanda aggressos facile imitari se posse putabant. Huc accedit tertium, quod fabularum graecarum copia uberrima, per se iam spiritu quodam poetico animata, tractationi expedire atque inopiam veri ingenii tegere videbatur. Neque minus alliciebat, quod haec carminum epicorum species iis virtutibus latius vagandi facultatem praebebat, quas etiam vir mediocris ingenii studio atque exercitatione sibi acquirere poterat, ut sermonis elegantiae, eximiae versuum structurae, denique omnibus, quae ad formam carminis exornandam pertinent. Quid igitur mirum, quod viros artem non profitentes ad eiusmodi argumenta aggressos esse videmus, qui tamen iis, quas attuli, rebus freti, ingenium ad studia epica intendebant, sperantes, se quoque aliquid ad Augusti gratiam sibi conciliandam in medium proferre posse?*)

Atque unus ex Ovidii sodalibus graecum argumentum tractans, id more Vergilii ad res romanas retulit. Quem, cum inter eos, quos hactenus commemoravi et eos, qui ad argumenta graeca tractanda aggressi sunt, quasi medium obtineat locum, his in commentatione anteponam.

Largus de quo nunc disputabo, ex P. IV, 16, 17 in poetis aequalibus ab Ovidio sic laudatur:

„Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem."

Hunc Largum eundem esse, atque Valerium Largum, Galli poetae amicum, post autem inimicum eiusque necis auctorem[24]) iam Wernsdorfius coniecit. De carminis Largiani argumento optime per Ovidium certiores fimus. Ex verbis enim l. liquido elucet, Largum Antenoris sortem resque ab illo gestas versibus enarravisse, Vergilium fortasse secutum, qui Aeneide simile argumentum tractavit. Namque ut Aeneas profugus, multis laboribus periculisque exhaustis, ad Italiae oram navem appulit et, incolis sibi occurrentibus superatis, Lavinium condidit, ita Antenor una cum Henetis, quorum rex Pylaemenes cum Harpalione filio interfectus erat, et quos, quominus in patriam redirent, adversarii domestici prohibuerunt, mari se dedit. Longis erroribus iactatus in mare Adriaticum et regiones Galliae cisalpinae pervenit, ubi, Valeso, rege Euganeorum victo, Patavium condidit.[25])

A Largo nunc transeamus ad eos Ovidii contubernales, qui ad Graecorum fabulas latine enarrandas incubuerunt. Atque primo loco de iis disputabo, qui ad nobilissimum fabularum complexum aggressi, Troianarum dico, varias eius partes aut Homerum, aut poetas, qui cyclici vocantur, secuti, in latinum sermonem verterunt vel liberius tractaverunt. Hac igitur ratione ductus ordinem singulorum poetarum

*) cfr. Friedländer: Sittgeschichte Roms III, p. 362.
[24]) Dio Cassius LIII, 23.
[25]) cfr. Stiehle: Philolog. XV, pp. 593 sqq.

sic constituam, ut primum de eo mentionem faciam, qui res ad Troiam ante eas gestas, a quibus Homeri Ilias initium capit, longiore carmine persecutus est, deinde ceteros pro rerum, quas quisque descripsit, temporum ordine adiiciam.

Itaque primo loco nominandus est Macer ille, cui missa est ex Ponticis epistulis libri II, 10, ex qua, quanta amicitia coniunctus fuerit cum Ovidio, cognoscere possumus. Ad hanc amicitiam confirmandam aliquid valuisse videtur, quod alter alteri affinitatis vinculo devinctus erat. (cfr. ep. l. v. 10). Atque de ea ipsa re Woelffelius l. l. p. 2207 non inepte, me quidem iudice, opinatur ex verbis Ovidianis in universum tantum dictis, uxores utriusque poetae fortasse sorores fuisse, et Macrum ob hanc uxorum necessitudinem Ovidium sibi iter facturo creavisse comitem. Si igitur Macer, id quod dubitari non potest, cognatus erat uxoris Ovidianae, quam Fabio Maximo apud Augustum aliquid valenti consanguineam fuisse constat, neque audacius est coniicere, Fabium Caesaris animum ad Macrum vertisse, non veri dissimile est, hunc poetam eundem esse, atque Pompeium Macrum, cui Augustus, Suetonio vit. Caes. 56 extr. auctore, ordinandas bibliothecas delegaverit.

De studiis Macri poeticis Ovidius largissimus auctor est. Poeta Sulmonensis ex P. IV, 16, 6 una voce „Iliacus“ Macri nomini apposita significat in universum, Macrum rebus ad Troiam gestis operam dedisse canendis. Itaque non dubium est, quin Ovidius Am. II, 18 eundem Macrum laudet:

„Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem
Primaque iuratis induis arma viris,
Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra
Et tener ausuros grandia frangit Amor,

quibus versibus diserte dicitur, poetam, de quo agimus, carmine epico res ad Troiam, ante rixam ducum illorum gestas, enarrasse. Neque nos, si Ovidium audimus dicentem (v. 35 sqq.):

„Nec tibi, qua tutum vati, Macer, arma canenti
Aureus in medio Marte tacetur Amor
Et Paris est illic et adultera, nobile crimen,
Et comes exstincto Laodamia viro.
Si bene te novi, non bella libentius istis
Dicis et a vestris in mea castra venis,

de argumento carminis Macriani fugere potest, neque Helenae raptum per Paridem neque Laodamiae, fidissimae uxoris, praeclarissimum factum silentio praetermissa esse.

Praeter „Antehomerica“, ut id iam hoc loco in medium proferam, tot viri docti, quot in eam rem inquisivisse novi, eidem poetae etiam „Posthomerica“ tribuerunt, nisi l. Ovidiano ex P. II, 10, 13 sq.:

„Tu canis aeterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu,“

quae verba ad Paralipomena Homeri, a Macro confecta, spectare censent. Ad hanc opinionem vv. dd. verbis Ovidianis ducti sunt ad finem Iliados

Homericae relatis, putantes, Macrum inde ab Hectoris sepultura orsum, cuius descriptione Homerus finem posuisset carmini, res ad Troiam gestas altero carmine persecutum esse. Sed equidem offensus, quod Ovidius in epistula poetae missa, in qua studia amici poetica laudantem eum videmus, „Antehomericorum“ mentionem non facit, quamquam haec epistula aptissimus eorum quoque commemorandorum locus erat, versus c. ad ea referendos esse contendere malim. Cum enim Homerum omnes res per longum temporis spatium ante iram Achillis gestas non tractasse satis notum sit, nihil obstat, quin de iis quoque dicatur, eas Homero restitisse i. e. ab Homero reliquas factas esse canendas. Cui interpretationi nostrae ne verba quidem: „ne careant summa Troica bella manu“ adversantur. Namque haec verba, cum omnes fabulae Troicae, eae quoque, quae res post Hectoris obitum complectantur, a poetis Graecorum cyclicis multis saeculis ante versibus celebratae sint, in universum accipi non possunt. Qua de causa mihi qnidem placet verba l. potius ad eas fabulas Troianas in universum referre, quae a latinis poetis epice tractatae sunt. Cum vero res inde ab Hectoris morte ad Troiam gestas Camerinus carmine celebraverit, id quod Ovidius non ignorabat, neque verisimile videatur, duos sodales Ovidianos unam eandemque materiam sibi proposuisse tractandam, admodum crediderim, Ovidium cupiditati gratiae apud Macrum ineundae cedens (cfr. v. 8) amicum pleno ore hic laudasse verbis, quae, cum verum augeant, sensum praebeant ambiguum. Nasonem autem, qui Antehomericorum Am. II, 18, diserte ac copiose mentionem fecit, laudem „Posthomericorum“, si Macer versibus ea descripsisset, omissurum fuisse, memo mihi persuadeat, respiciens, Ovidium detractorem amicorum nusquam, sed ubique eorum laudatorem se ostendere.

Ad Homeri Iliada latine tractanda ex Ovidii sodalibus nullus aggressus est. Principis illius epicorum poetarum imitatio post Vergilium fortasse difficilior et audacior putabatur, quam quae sine ullo imitatoris damno fieri posset. Minus periculosum poetarum ingenio videbatur, ad poetas cyclicos aggredi. Ut Macrum „Antehomericis“ latine tractandis operam dedisse constat, Iliada Cypriam Graecorum, ut credibile est, exemplar sibi proponentem, ita Camerinus ea Graecorum poemata vertisse traditur — quamquam de hac re vv. dd. fluctuant — quae Homeri Iliados argumentum continuabant. Poeta l., quem vv. dd. non diversum esse a consule a. 762 a. u. c. suspicantur, ab Ovidio in poetis aequalibus ex P. IV, 16, 19 sic commemoratur:

„quique canit domitam Camerinus ab Hercule Troiam.“

Quo ex versu, qui Heinsio teste in nonnullis legitur codicibus, quos vir ille doctissimus accuratius citare omisit, appareret, Camerinum eam narasse expeditionem, quam Hercules cum heroibus suae aetatis praecipuis contra Troiam, Laomedontis imperio rectam, fecisse, quaque urbs expugnata diruisse fertur, nisi v. l. a Kornio ad plurimorum optimorumque codicum auctoritatem sic restitutus esset:

„quique canit domito Camerinus ab Hectore Troiam“,

ita, ut contra opinionem l. non dubium sit, quin poeta potius „Posthomerica“ composuerit.

Haud aeque difficilis, atque Iliados interpretatio, Homeri Ulixis laudatoris aemulatio habita est, ad quam ex sodalibus Ovidianis Tuticanus accessisse traditur. Quem poetam Odyssea Homerica in latinum sermonem versa nomen habuisse[26]) ex epistula IV, 12 ex Ponto illi missa non minus elucet, quam, eum ab adulescentia Ovidio amicitia et studiorum similitudine devinctum fuisse. Huius testimonii rationem habentibus dubium esse non potest, quin ex P. IV, 16, 27: „et qui Maeoniam Phaeacida vertit,“ idem Tuticanus significetur. In ambiguo autem est neque certo diiudicandum, utrum per „Phaeacida“ tota Odyssea, an ea tantum pars intellegenda sit, qua Ulixis ad Phaeacas et Alcinoi regiam adventus narretur.

Ac Wernsdorfius quidem p. l. m. tom. IV, p. 584 de toto carmine, Haubius de parte eius cogitat, qua id describatur, quod titulo „Phaeacis“ adumbretur. Quamquam, Aeliano var. histor. XIII, 14 auctore, Homeri carmina olim in varias partes distinctae singulaeque partes titulis exstructae fuerunt, ita, ut una ex Odysseae partibus „Phaecis“ inscripta fuisse possit, tamen Haubii sententiam, a viro d. eo defensam, quod Naso utroque loco, ex P. IV, 12, 27 et 16, 27, eadem carminis significatione „Phaeacis“ usus esset, pro certo non habeam. Haec enim vox a poeta metaphorice adhibita esse potest, ita quidem, ut, cum narratio de Ulixe apud Phaeacas versante nobiliorem efficiat carminis partem, partis nomen pro titulo totius carminis positum sit. Atque haec opinio eo confirmari mihi videtur, quod verba „cum te Pierides perdocuere tuae“ docent, Tuticanum non ad verbum vertisse, sed suum ipsius ingenium secutum, fabulas liberius tractasse. Quod si fecit poeta, fieri quoque potuit, ut totius Odysseae fabulas nobilissimas carmine suo, breviore fortasse narratione, complecteretur.

Ut Tuticanus Ulixis, ita Lupus quidam Helenae et Menelai errores versibus narravit. Illi, post Troiam dirutam in patriam redituri, ad Aegyptos, Cyprios, Phoenices delati, eo ipso die domum rediisse dicuntur, quo Orestes funera Aegisthi et Clytaemnestrae fecit. Cuius carminis eiusque auctoris Ovidius mentionem facit ex P. IV, 16, 25 sq.:

„Trinacriusque suae Perseidos auctor, et auctor
Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus.“

Sunt, qui „Trinacrius“ adiectivum ad Lupus referendum putantes, carmina uni auctori eique Siculo tribuant. Sed huic interpretationi verborum repetitio: „auctor et auctor“ non favet, quae in eodem carminum auctore languida esset atque insulsa. Itaque a partibus eorum stare me iuvat, qui duos poetas, Trinacrium quendam „Perseidos“ auctorem et Lupum intellegunt. Quis prior fuerit, plane ignoratur; sed ne Lupi quidem plenum nomen certo indagari potest, quia in Juniis, Juliis, Rutiliis plures Lupi, aetate non longe ab Ovidio remoti,

[26]) cfr. vv. ep. l. 26—28 et 19 sqq.

exstiterunt. Veri similior Wernsdorfii coniectura videtur l. l. tom. IV, p. 553, Merkelio prol. ad Ibin p. 376 astipulante opinantis, Lupum Ovidianum eundem esse atque Rutilium Lupum, rhetorem et libri „de figuris sententiarum et elocutionis“ auctorem, qui, Ruhnkenio praef. XVII ed Lips. demonstrante, ab ea aetate haud longe distat, cuiusque ab arte non alienum erat, carmina, imprimis eiusmodi argumenti componere, quo eruditionem et elegantiam scribendi prae se ferre posset.

Denique, ut de omnibus poetis Ovidio aequalibus dictum sit, qui, alius alio carmine, Troicas fabulas tractaverunt, Tuscus commemorandus est, quem carmen „Phyllidos“ nomen tituli loco habens, composuisse Ovidius ex P. IV, 16, 20 memoriae prodit. Quale opus „Phyllis“ Tusci, qui idem videtur esse, atque Clodius Tuscus grammaticus, intellegenda sit, vv. dd. inter se fluctuant. Sunt enim, qui putent, „Phyllida“ nomen esse fictum puellae a poeta amatae et carminibus celebratae. Cum autem, id quod maximi est momenti, Tuscus in poetis epicis recenseatur, hic potius de carmine epico, quo poeta fabulas de Phyllide Thracia pervulgatas tractavit, cogitandum est. Illa enim, Demophoontem, Thesei filium, cum Troia expugnata in patriam rediturus ad Thraciae litus navem appulisset, amore est complexa. Sed cum sponsus in patriam reversus die nuptiis constituta non rediisset, mortem suspendio sibi conscivit, quo facto in amygdalum foliis vacuam mutata est. Demophoon autem, voti non oblitus, reversus cum cognosset, quid factum esset, arborem amplexus est, quae, tamquam sponsi adventum cognosset, post folia edidit.[27])

Praeter Troianas fabulas Thebanae quoque poetarum Augusteae aetatis ingenium alliciebant. Ad eas tractandas ex Ovidii sodalibus Ponticum aggressum esse, a Nasone quidem non accipimus, qui Trist. IV, 10. 47 poetam heroico carmine clarum appellat, sed de argumento ab eo tractato tacet. Qua de causa de studiis Pontici poeticis explorandis ad alios auctores confugiamus necesse est. In quibus Propertius I, 7 unus est auctor, l. l. amicum, Thebaidos versu heroico compositae conditorem, iocose monens, ne se tamquam elegiographum leviora argumenta carminibus complectentem contemnat, ut ne ipse amoris vinculis aliquando obstrictus ad contrariam opinionem cum magno damno adigatur. Ex prooemio elegiae Propertianae c. de argumento carminis suspicari possumus, Ponticum a Thebis per Cadmum conditis orsum, totum fabularum cyclum de hac urbe pervulgatum usque ad bellum inter fratres hostiles gestum versibus celebrasse. Neque veri dissimile putem, poetam Antimachi praeclaro eiusdem argumenti carmine exemplari usum esse. Praeter eundem Propertium I, 9 et Ovidium l. c. nemo veterum auctorum, quorum carmina nobis servata sunt, de Pontico mentionem fecit.

Magis, quam de Pontico, Ovidius nobis de Caro poeta iam acturis favet, quem in amicissimis sodalibus se habere ex P. IV, 13, 1 sq. affirmat:

[27]) Serv. ad Verg. Eclog. V, 10. Hygin. fab. 59. Ovid. Her. II.

„O mihi non dubios inter memorande sodales,
Quique, quod es vere, Care vocaris, ave!“

quamquam ex Trist. III, (5), quae elegia haud dubie eidem Caro missa est,[28] elucet, amici consuetudine paulo demum ante, quam Roma decedere iussus sit, Nasonem uti coepisse. Atque, ni fallor, Carus[29] una cum Albinovano Celso[30] et Cotta[31] parvum amicorum numerum effecit, qui poetam prae dolore olim sui non compotem non destituerunt, sed potius eum consolatione erigere studuerunt. Cum ex epistulae ex Pont. IV, 13 versu 47 sq. cognoscamus, Carum puerorum Germanico patre genitorum fuisse praeceptorem et educatorem neque ob eam causam dubium videatur, quin apud Caesarem in aliquo honore fuerit, non mirum est, quod Ovidius animum eius mitissimum sibique amicissimum praedicans eum orat, ut facundiam linguae adhibeat ad iram Caesaris leniendam.[32] Praeter, quam supra commemoravi ex Tristibus elegiam, etiam epistulas Trist. III, 4 vv. 1—46 et I, 9 eidem Caro missas esse Lorentzius l. c. p. 46 iudicavit. De priore quidem epistula dubitare licet, quia — id quod Gustavus Nick l. supra c. p. 199 recte vidit — v. 4 epistulae l. pessime ad Garminici filiorum educatorem quadraret. Nihilominus autem totius elegiae sono ac sententiis moveor, ut ipse eam Caro inscribam de versu quarto a Nickio allato opinans, Ovidium, quem libenter epistulis praecepta ad suam malam fortunam spectantia in usum amicorum immiscere satis notum est, hac ipsa consuetudine hic lapsum esse. An Ovidium multa leviter scribentem semper intenti animi fuisse putemus, cum interdum etiam bonus dormiat Homerus? Sed etiam alteram epistulam (I, 9) ad eundem Carum missam esse, veri simile videtur. Versibus enim 46, 57, 65 ad facundiam amici insignem alluditur, qua etiam aliis locis, ut videmus, Carum eminuisse poeta Sulmonensis praedicat. Atque verisimile est, hanc Cari facundiam in carmine quoque infuisse, quo illum res ab Hercule gestas celebrasse, Pisandrum fortasse Rhodium secutum, Ovidius ex P. IV, 13, 11 et 16, 7 sq. auctor est. Ad illam enim dicendi et scribendi facultatem et verba spectare mihi videntur Ovidiana ex P. IV, 13, 17:

„Nec te mirari si sint vitiosa decebit
Carmina, quae faciam paene poeta Getes,“

[28]) Trist. III, 5, 17, sq: Sum quoque, care tuis, defensus viribus absens
Scis Carum verci nominis esse loco . . .
Assentitur Lorentzius l. l. p. 45 sq. Aliter Loersius in ed. ad l.

[29]) Trist. III, 5, 5: Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinam,
Versaque amicitiae terga dedere meae,
Ausus es, igne Jovis percussum tangere corpus
Et deploratae limen adire domus:
Idque recens praestas nec longo cognitus usu.
Quod veterum misero vix duo tresve mihi
cfr. praeterea ex P. II, 3, 30 sq. ex P. III, 2, 25.

[30]) cfr. ex P. I, 9, 14—30.

[31]) cfr. ex P. II, 3, 5 sq. 30 sq. III, 2, 5 sq.

[32]) cfr. Trist. III, 5, 25—30.

et eiusdem carminis v. 13, quo Musam suam fortasse insignem esse vitiis et ob eam rem facile cognoscendam poeta profitetur. Utroque loco Carus poeta in forma versuum perfectus atque absolutus significatur.

Praeter Herculem etiam Theseus in amicis Ovidii laudatorem nactus est. Atque herois illius laudes canere idem ille Albinovanus Pedo suscepit, quem iam supra p. 12 sqq. commemoravimus. Cuius carminis Ovidius epistulae ex P. IV, 10 amico missae v. 71 sq. mentionem facit, non praetermittens, Thesei in Pirithoum amicum fidem sic commendare imitandam:

„At tu, non dubito, cum carmine Thesea laudes,
Materiae titulos quin tueare tuae,
Quemque refers, imitere virum. Vetat ille profecto
Tranquilli comitem temporis esse fidem.
Qui quamquam est factis ingens et conditur a te
Vir tanto, quanto debuit ore cani,
Est tamen ex illo nobis immitabile quiddam:
Inque fide Theseus quilibet esse potest.

De carminis argumento ex his versibus et iis, qui sequuntur, concicere possumus, imprimis Thesei in Pirithoum nobilem fidem celebratam fuisse, neque poetam labores herois monstraque ab eo exstincta silentio praetermisisse.

Multo minus, quam de Pedone ab Ovidio de Domitio Marso[33] accipimus, qui, cum Q. Horatio Flacco aetate propior esset, cum Vario aliisque in sodalibus poetae Sulmonensis maximis natu recensendus est, quique, quo tempore Ovidius ultimam composuit Ponticarum epistularum diem supremum iam obiisse videtur.

Cognominis poetae rationem habentibus probabile videri debet, originem eum duxisse a maioribus Marsis, qui in cives Romanos excepti, Domitiae genti, plebeiae quidem, sed nobili, attributi sunt. Praenomen poetae, et utri familiae, Ahenobarborum an Calvinorum, nobilissimis Domitiis, adscriptus fuerit Marsus, non magis compertum habemus, quam, qualis condicio eius vitae fuerit et quot annos compleverit. Marsum tamen ultra Tibulli mortem in vivis fuisse, ex epitaphio suavissimo, ab eo in hunc poetam composito, apparet. Mirum est, quod praeter Ovidium ex P. IV, 16, 5 aequalium nemo poetam, de quo agimus, commemoravit. Itaque nihil, nisi nomen eius ab Ovidio l. l. traditum sciremus, nisi Martialis nobis optime succurreret epigrammatis nonnullis memoriae prodens, Marsum et hoc (sc. epigrammatum) carminum genere, et epico carmine, ut videtur, nomen habuisse.

Martialis enim IV, 29, 7 sq. „Amazonida“ titulum alicuius operis a Marso confecti sic in medium profert:

[33]) cfr. Weichert: pp. lat. rell. p. 241 sqq. Praeterea in hac dissertatione de Marso agitur pp. 43 sq. et 45 sq.

„Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.“

Quod carmen altera pars virorum doctorum amatorium fuisse censet, altera epicum. Nam, quamquam „Amazonis“ cum Persii satirarum uno libro comparari videtur, tamen hoc poema ex satiricis carminibus fuisse vix quisquam credet, quoniam ex nexu sententiarum totius epigrammatis l. liquido elucet, hanc comparationem non tam ad argumenta operum, quam ad differentiam amplitudinis esse referendam. Fieri enim, poeta vult dicere, ut, cum Marsiana „Amazonis“ volumine amplior sit, quam quae legentibus taedium non afferat, lecturi potius morosum quidem, sed breviorem libellum Persianum capiant. Itaque, si res ita est, de genere carminis ex epigr. l. nihil erui potest.

Qui „Amazonida“ carmen amatorium fuisse censent, nullam habere videntur aliam ansam, atque vocem „levis“ poetae nomini praepositam ad morem ingeniique eius studium in universum significandam, quam ad hoc unum carmen referunt. Sed, etiamsi illa vox ita, ut illi volunt, referenda esset, tamen ideo non neccessario de amatorio poemate cogitandum est, quoniam alia quoque carmina leviter i. e. lepide dulceque scripta et nugis ludicrisque aut referta esse aut, morosis Persii satiris opposita, hilaria videri possunt. Quam ob rem et Ovidii testimonio nisus, Marsum inter epicos poetas recensentis, et Martialis epigrammate VIII, 56, in versu 22 poetam cum Vario nominantis, iis astipuler, qui Amazonida carmen epicum intellegant. Neque eo laedamur necesse est, quod Martialis epigr. l. v. 24 affirmat, se, si patroni divitis liberalitatem adipisceretur, non Vergilium sed potius Marsum futurum esse. Nam sententia illa, quae nos facile in errorem incidentes facere potest, hic de Marso epigrammatum auctore cogitandum esse, quippe quem Martialis secum comparare videatur, cum Weicherto l. c. p. 259 recte ac sententiarum nexui convenienter ita interpretanda est, ut poeta potius affirmet, se non tantum quidem poetam epicum, quantus fuerit Vergilius, futurum esse, sed talem tamen, qualis Marsus.

Hac igitur Marsi cum Vergilii consociatione novum sententiae meae fulcrum adepto mihi iam quaestio habenda est, quale argumentum poeta „Amazonide“ tractaverit. Qua in quaestione, cum nulla carminis exstent fragmenta, opiniones tantum a viris dd. in medium prolatae animo reputandae sunt.

Ac Weichertus quidem l. c. p. 257 cogitat de Herculis expeditione contra Amazones facta, quae sane, quamquam talis carminis exemplar Graecum non exstitisse videtur, tamen a Domito Marso, poeta magni ingenii, etiam sine eiusmodi exemplari carmine celebrari poterat. Quod Welckerus: der epische Cyclus cet. I, p. 319 affert, similiter Cameriniani carminis graecum exemplar investigari non posse, id Weichertum non refutaret, siquidem res ita, ut Welckerus putat, esset, neque Camerinus potius excidium Troiae post Hectoris mortem versu epico persecutus esset. Cum vero pro certo habere nobis liceat, omnes poetas, quos hactenus graeca argumenta tractasse commemoravi, graecos poetas imitatos esse, magis, quam Weicherti opinio, mihi arri-

det Welckeri, Marsi „Amazonida“ imitationem cyclicae Amazonidis putantis, quae pugnam Thesei cum Amazonibus sub Athenarum moenibus commissam celebraverit. Atque eo magis cum viro doctissimo faciam, quia ne carmen quidem graecum reperitur, quo mythi Amazonum per varias fabulas heroum cum natione illa mulierum pugnacium congressorum tractati sunt, ita, ut ad talis quoque carminis exemplar Marsi carmen compositum fuisse non possit.

Intima denique amicitia Ovidius cum M. Aurelio Cotta Maximo coniunctus erat, quem ex P. IV, 16, 41 sqq. ultimo loco in sodalibus suis recenset:

„Te tamen in turba non ausim, Cotta, silere,
Pieridum lumen, praesidiumque fori.
Maternos Cottas cui Messallasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit,[34])

quo ex loco videmus, Cottam Messalinum (Vell II, c. 112) esse intellegendum, filium M. Valerii Messallae et matris e gente Cottarum ortae, qui, ne Cottarum familia, cuius nulla supererat proles virilis, protinus evanesceret, adoptione etiam genti Aureliae adscriptus est.[35])

Cum Ovidius ex Ponto II, 3, 71 sq. Cottam non factum sibi sed potius natum amicum esse affirmet, cui in cunis prima dederit oscula, poeta autem adulescens viginti circiter annorum iam cum Messalla patre amicitia coniunctus esset,[36]) verum attingere coniicientes videamur, Cottam circa annum 23 a. Chr. natum fuisse.[37])

Fasces tenuit per annum p. Chr. n. 20 una cum M. Valerio Messalla,[38]) fratris Messalini filio.

De vita consularis Cottae nihil notum videtur esse, nisi quod apud Tacitum Ann. VI, 5 legimus, eum apud Tiberium in maxima gratia fuisse eumque anno 32 p. Chr. n. laesae maiestatis accusatum litteris a Caesare ipso esse defensum.

De huius viri moribus diversa a veteribus auctoribus memoriae tradita sunt. Namque, cum Tacitus[39]) morum eius et humilitatem et atrocitatem vituperet ac Plinius N. H. X § 52 Cottam mensarum luxui deditum fuisse auctor sit, Ovidius mitem eius atque fidelem in amicitia animum, quem sane ex fide in poetam exulem servata cognoscas, summis effert laudibus.[40]) Atque ea Ovidii testimonia inscriptione Zosimi, Cottae liberti, quae, in monumento sepulcrali incisa, in via Appia reperta est, confirmantur.[41])

---

34) cfr. ex P. III, 2, 105 sqq.

35) cfr. Koch: prosopographiae Ovid el. p. 18. De tempore, quo adoptio facta esse videtur, videas Graeberum l. c. p. XXIII.

36) Trist. IV, 10, 57 sqq. et ex P. II, 3, 75—77.

37) Graeber: l. c. p. XXII; Lorentz l. c. p. 4.

38) C. J. L. p. 475. Henzen 7419 d. β. — Tacit. Ann. III, 2.

39) Ann. II, 32; IV, 20; V, 30; VI, 5; VI, 7.

40) ex P. II, 3, 5 sq. 30 sq. III, 2. 5 sq.

41) cfr. Ann. inst. arch. XXXVII p. 6.

Graebero quidem l. c. p. XXII hoc honorificentissumum iudicium non fide dignum videtur. Quamquam verum a Zosimo augeri coniicere est consentaneum, tamen laudes huius liberti de liberalitate patroni eo fulciri mihi videntur, quod etiam Juvenalis sat. 5, 108 et 7, 94 Cottae liberalitatis praeco factus est.

Ex Tomitarum urbe Ovidius Cottae amico misit epistulas ex P. I, 5 et 9; II, 3 et 8; III, 2 et 5, quibus summam inter eos extitisse amicitiam docemur eamque non tantum, cum poeta Romae vivebat, sed etiam cum inter Getas exul miseram vitam degebat.

Praeterea ad Cottam etiam ex Tristibus nonnullae elegiae — atque id optimo iure — missae putantur. Mirum enim esset, si Ovidius, cum in Tristibus multos alios amicos adloquatur, hunc inter amicos „principem" primis exilii temporibus plane neglexisset. Quae autem hae elegiae fuerint, viri dd. inter se admodum discrepant. Ut Tristium IV, el. 5 Cottae inscribendam esse, inter eos — Kochio excepto — convenit, ita iudicia vv. dd. de nonullis aliis discrepant. Lorentzius enim l. c. p. 8 et Gruppius (Philol. Rundschau 1881 p. 1619 sp.) elegiam Trist. libri IV, 4 Cottae dandam esse statuunt, — id quod mihi quoque placet — Kochius autem l. c. p. 4 et Graeberus l. l. p. XVII sqq. eandem elegiam Messalino inscribendam esse iudicant. Nec magis de Trist. I, 5 viri dd. inter se consentiunt. Namque haec epistula Gruppio iudice (l. c. p. 1621) Cottae, ex coniectura Kochii[42]) et Lorentzii[43]) Sexto Pompeio missa est, cum Graeberus poetam nullum nisi Celsum denotare voluisse censeat.[44]) Denique Cottae a Gruppio l. c. p. 1622 Trist. V, 4 a Graebero V, 9 incribuntur, quas elegias alios amicos Ovidii accepisse alii vivi dd. coniiciunt.[45])

Longius a re nostra aberraremus, si argumenta quae viri dd. ad suam quisque sententiam confirmandam in medium protulerunt, animo perpendentes aut probare aut refutare vellemus. Id tantum adnoto, quamquam illa argumenta magnam partem argute excogitata sunt, tamen vix fore, ut, discrepantia sublata, viri dd. in eandem conveniant sententiam. Quod enim Gruppius l. c. p. 1620 statuit quaestionum de hac re principium, quodque ab aliis in eandem rem inquirentibus probatur: in epistulis eidem amico missis easdem reperiri sententias ac sermonis figuras, ex quibus diiudicari possit, cui haec vel illa epistula missa sit, id neque illa inter viros doctos dissensione neque elegiis ipsis confirmatur. Tantum enim, me quidem iudice, abest, ut sententiarum similitudo in elegiis Ovidianis certa ansa sit coniiciendi, ut ex ea nata sit illa discrepantia.[46])

42) l. c. p. 27 adn.
43) l. c. p. 17.
44) l. c. p. XXI.
45) cfr. G. Nick: Philol. Anzeiger 1882 p. 199.
46) Collegi ex Tristibus et epistulis Ponticis locos, qui de amicitia ac fide in Ovidium servata agunt, quique opinionem a me pronuntiatam confirmare mihi videntur. Ex hisce locis colligere possumus, ne verba quidem,

Cottam quoque poematis componendis operam navasse, cum ex loco Ovidianio ex P. III, 5, 39, unde etiam comperimus, eum carmina sua inter amicos recitasse, tum ex l. supra c. elucet; sed plane ignoratur, in quonam carminum genere ille ingenium posuerit. De argumento alicuius carminis ab eo compositi Merkelius prol. ad Ibin p. 376 opinatur, illum amicum Ovidii fabulam de amicitia inter Orestem et Pyladem notissimam versibus esse complexum, summa cum probabilitate coniiciens et Trist. IV, 4, quae elegia mythum illum latius narratum contineat, et epistulam ex P. III, 2 eidem Cottae esse missam, qua eodem modo, atque l. l., fabula illa narretur. Atque in hac re viro d. assentiar, quoniam fieri potuit, ut Ovidius, quem elegias ubique fabulis exornare solitum esse constat, carminibus amicis missis gratiae apud eos ineundae causa eas insereret fabulas, quas singulos amicos, quibus missa sunt, versibus tractasse sciret. Sed plane incertum est, utrum Cotta hoc argumentum epice an dramatice tractaverit.

Eundem autem poetam etiam in poemata minoris momenti componenda ingenium convertisse, Ovidius ex P. III, 5, 39 indicare mihi videtur:

„Ecquid ubi aut recitas factum modo carmen amicis,
Aut, quod saepe soles, exigis, ut recitent.

Quo loco, quominus de carminibus maioris voluminis cogitem, prohibeor voce „modo", qua me quidem iudice poeta carmen vult indicare, ad quod conficiendum haud longo temporis spatio opus sit.[47]) Utrum autem hic de elegiis an de epigrammatis, quae faceto Cottae animo optime respondeant, sit cogitandum, diiudicari non potest.

Jam restat, ut de illo Trinacrio pauca dicam, cuius mentionem de Lupo disputaturus iam supra feci, quique ab Ovidio ex P. IV, 16, 25 „suae Perseidos" auctor appellatur. Quis ille Trinacrius fuerit, prorsus ignoratur. Cum „suae" ad verba „Perseidos auctor" appositum non solum supervacaneum sit, sed etiam ineptum atque insulsum, non inepte coniicitur, eandem sedem, quam in codicibus nunc pronomen obtineat, aliam vocem tenuisse, qua, si exstaret, fortasse res clarior esset. Titulo operis ad argumentum a Graecis sumptum ducti

quibus poeta vix duos tresve amicos in fide perseverasse dicit, ad verbum intellegenda esse. Namque, ut ex locis ex P. IV, 6, 25 sq. IV, 10, 83 sq. IV, 11, 3 sq. cognoscere licet, illis, quos supra (p. 26) nominavi, amicis, etiam Brutus, Albinovanus Pedo, Gallio adiiciendi sunt. Loci a me collecti hi sunt:

Trist.: I, 5, 2 sq. 33 sq. — I, 6, 5 sq. — III, 5, 5 sq. — III, 5, 9 sq. — III, 5, 19 sq. — IV, 5, 1 sq. — V, 4, 23 sq. — V, 4, 33 sq. — V, 9, 1 sqq. — V, 9, 15 sq. — V, 13, 7 sq. —

Ex Ponto: I, 9, 14 sq. — I, 10, 39 sq. — II, 2, 48 sq. — II, 3, 5 sq. — II, 3, 29 sq. — II, 3, 81 (quocum cfr. Trist. III, 6, 3 sq.) — II, 11, 5—12. — III, 2, 5 sq. 25 sq. — IV, 1, 1 sq. — IV, 5, 41. — Ceterum confer, Trist. III, 9, 39 sqq.

47) Huic sententiae versionem quoque Woelffelianam favere video: „Sage wenn Freunden du bald vorliesest ein neues Gedichtchen" cet.

facile opinamur, Trinacrii quoque carmen ad graeci poematis exemplar compositum fuisse. Quod autem ad argumentum attinet, ab eorum partibus stare non ausim, qui de Choerili et Musaei Ephesii carminibus cogitant, quibus hi poetae res a Persis gestas stilo epico persecuti sunt, quamquam haud ignoro ,,historicum fuisse carminum epicorum genus vere Romanum.“ Namque ,,Perseis“ non ad ,,Persas“ spectat, a qua voce titulus ille derivari non potest, sed potius ad Perseum, Danaes et Jovis egregium filium, cuius res gestae argumentum praebent poetica tractatione non indignum.

Ab epicis poetis nunc transeamus ad eos Paeligni vatis sodales, qui carminum genus didascalicum exercuerunt, quique, ut mihi videtur, aptissime epicis poetis adseruntur. Cum enim in eiusmodi poematis in universum res persequatur poeta, quas extra se intuetur, satira ab hoc poematum genere exclusa, naturam atque indolem carminum didascalicorum accurratius ita circumscribimus, ut censeamus, materiam quandam non ex animo exprompta a poeta, sed studio ac diligentia vel experientia atque usu acquisitam, eius tradendi tantum causa aut eam ob rem iis tractari, ut poeta ostendat, quantam in difficillima re artem et mirificam facultatem adhibere possit.

Itaque cum in eius generis poematis utilitas quaedam emineat, non mirum est, quod Romani, qui omnia consilia ad vitae usum dirigere solebant, in carmina didascalica condenda iam antiquissimis temporibus incubuerunt.

Atque omnia Romanorum carmina didascalica usque ad Ovidii tempora, argumenta singulorum si respicimus, in quattuor genera dividi possunt. Primum eorum ad philosophiam spectat, alterum ad historiam et religionem, tertium ad litteras, quartum denique ad aliquem vitae communis usum. In poetis primi generis carminibus nomen adeptis nominandi sunt Ennius, M. Terentius Varro Reatinus, Lucretius Carus, quorum primus carmen „Epicharmi“ nomine pro titulo exornatum condidit, uterque posteriorum in „rerum naturam“ versibus inquisivit. Alterum deinde genus excoluerunt idem ille Ennius „Euemero“ notus et Ovidius „fastorum libris“, quos condidit sex. Tertio generi ad litteras vergenti L. Accius, Q. Valerius Soranus, Volcacius Sedigitus, Porcius Licinus operam navasse traduntur, quarto denique idem L. Accius, quem modo laudavi et cuncti poetarum didascalicorum, numero maximi. Ac primum quidem hic laudanda sunt vestustissima illa praecepta ab agricola quodam filio dedita et versu Saturnio composita, deinde, quae eiusdem generis ab Appio Claudio et a Catone in usum filii confecta sunt. Hic quoque Ennius locum obtinet duobus carminibus, quibus tituli „Protreptica“ et „Heduphgetica“ erant quibusque, cum alterum ad Archestrati exemplar composuerit, dux factus est poetarum Augusteae aetatis in eiusmodi

quoque carminibus condendis ad Alexandrinos poetas recedentium. Praeterea, qui nominentur, digni sunt Varro Atacinus et Cicero, quorum prior Cosmographiam versibus scripsit, alter Arati „Phaenomena“ latine tractavit. Quibus adiungendi sunt Vergilius, habilissimus poeta didascalicus, cuius Georgicon libri IV usque ad nostram aetatem servavit fortuna, et Ovidius, quem libris „de medicamine faciei“ et „Halieuticis“ quarto didascalicorum carminum generi operam navasse constat. Vix autem carminibus didascalicis accenseri possunt eiusdem poetae „ars amatoria“ et, „remedia amoris“ quamquam ille, quasi per iocum, in iis praeceptoris vultum simulat.

Eadem specie carminum didascalicorum excolenda ii poetae nomen sibi comparaverunt, qui in Ovidii sodalibus eiusmodi poemata condidisse traduntur, nisi quod Sabinus historico quoque genere laudem adeptus est.

Atque de poetis contubernalium Ovidianorum didascalicis acturi initium capiamus ab Aemilio Macro, maximo, ut videtur, inter omnes et natu et gloria. Ovidius eum notissimo loco Trist. IV, 10, 43 hisce verbis commemorat:

„Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque nocet serpens, quae iuvat herba Macer“

quibus versibus certiores fimus, Macrum tria carmina de avibus, de serpentibus, de herbis agentia composuisse in iisque limandis fortasse iudicio Ovidii, poetae versuum elegantia nobilis, usum esse.

De Aemilio Macro pauca tantum scimus. Natus erat Veronae, Servio ad Verg. Eclog. V, 1 teste, qui ibidem narrat, poetam etiam cum Vergilio amicitia coniunctum fuisse. Quo anno Aemilius natus sit, nusquam traditur; eum autem a. 737 a. u. c. in Asia diem supremum obiisse, Hieronymus in chronico Eusebiano auctor est. Quamquam igitur Vergilium amicum ad inferos descendentem duobus fere annis post secutus est, tamen iam ante, quam poeta Andinus, laudem carminibus sibi comparavisse et eam ob causam illo maior natu fuisse videtur. Quod quidem Quintilianus[48]) testatur dicens: „si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur: ii ipsi, qui sunt optimi, non fuissent, neque post Lucretium ac Macrum Vergilius“ e. q. s. Aliquid certius de aetate Macri vix investigari potuerit.

Quod poetae, de quo agimus, iam apud veteres auctores acciderat, ut saepenumero cum viro eiusdem cognominis confunderetur, idem etiam apud nonnullos recentiores auctores, qui de eo scripserunt, non fugit. Namque cum Plinius, auctores, quorum operibus usus sit fontibus, ad libros XIX, XXI, XXII, XXIV, XXVIII, XXX, XXXII enumerans ex probabili coniectura Ungeri: de Aem. Macro Nicandri imitatore Friedl. 1845 p. 16 et Nonius Marcellus p. 220, 18, et Priscianus p. 225 „Licinii“ nomen pro „Aemilii“ usurpant, tum ex

[48]) instit. or. XII, 11. § 27 H.

recentioribus **Barthius** l. 43 adv. c. 3, **Broukhusius** ad Tibull. II, 6 (p. 274), **Osannus** ad Apuleium p. 55 Macrum, epicorum carminum auctorem, cum Aemilio Macro confundunt.

De carminibus Aemilianis iam supra paucis mentionem fecimus. Praeter Ovidium etiam Cato Distich. praef. II, 20 carmen de herbis attingit[49]) neque veri dissimile videtur, Manilium quoque Astron. II, 43 de Macro cogitare:

„Ecce alius pictas volucres et bella ferarum,
Ille venenatos angues, hic nata per herbas
Fata refert vitamque sua radice ferentes“,

quae verba, quamquam in universum de argumentis carminum didascalicorum accipienda sunt, tamen ad Macri poemata optime referri possunt.

In carminibus suis conficiendis Macer Quintiliano teste (inst. or. X, 1, § 56), Nicandrum sibi proposuit imitandum, ad quem Vergilius quoque et Ovidius, hic in Metamorphoseon libris XV, ille in Georgicis recesserunt. Sed uterque Macrum sermonis virtutibus superavit. Cum enim hac in re Vergilius et Ovidius summa laude digni sint, Macer a Quint. inst. or. X, 1, 87 in sua materia elegans quidem, sed tamen humilis appellatur.

Qui tituli singulis poetae carminibus inscripti fuerint, certo indagari non potest. Si grammaticis fidem habemus, poemati „de volucribus“ titulus „Ornithogonia“ tribuendus est. Namque Non. Marcellus p. 220, 18; 518, 25, duo affert exempla, quorum alterum ex primo libro „Ornithogoniae“ desumptum esse ait. Huc accedit locus apud Diomedem I, p. 347, ubi secundus „Ornithogonias“ liber laudatur. Hinc igitur statuere possumus, totum hoc carmen minimum duos libros complexum esse.[50])

Magis, quam in Ornithogonia, in ambiguo est, quot libros „Theriaca“ complexa sint, quo nomine carmen de serpentibus a grammaticis citari solet. Omnes enim viri dd., qui ante Lindemannum in hanc quaestionem incubuerunt, loco apud Charisium I, p. 81 (K,), ut Putschius eum praebet, freti, carmen, de quo agimus, e quinque libris constitisse constituerunt. Sed de hac re disputare licuit, postquam Lindemannus (p. 46 not. 6 et Add. p. 177) adnotavit: „dedi codicum scripturam, quantum eam assequi potui: „et Macer e Theriacon: **unde** resonantia sibila collo.“ Itaque R. Unger: de Aem. Macro ct. p. 6 utrumque, et Putschii lectionem et Lindemanni adnotationem, respiciens, opinatus est, olim fortasse: „VII resonantia cet.“

[49]) Telluris si forte velis cognoscere cultus
Vergilium legito. Quod si mage nosse labores
Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet,
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.

[50]) Fragmentum de cygni vi in auspiciis servavit Isid. XII, 7, 19. Ornithogoniae fortasse inserenda sunt fragmenta apud Charisium I, p. 133, 11; 14, ubi nomen tantum auctoris commemoratur, non autem opus, ex quo verbac. sumpta sint.

scriptum fuisse, ex quo deinde un̄ sive **unde** factum esset. Cum autem ipsi non probabile videatur, Macrum tot libris „Theriaca“ scripsisse, exemplis docere non omittit vir doctissimus, quam saepe in libris manuscriptis notae numerales V et II inter se commutentur. Quod congruit cum ea sententia, cui nunc maxime fides habetur. Nam Keilio auctore, grammaticorum novissimo editore, cod. Neapolitanus, unus operis Charisiani fons, „ↄtundo“ exhibet, quam corruptelam ex secundo facile oriri potuisse non difficile intellegitur. Qua de causa, cum res ita sit, de amplitudine „Theriacon“ dicendum est, ea quoque minimum duos libros complexa esse.[51])

Restat denique, ut paucis carminis de herbis mentionem faciamus, cuius titulus ab alio viro d. aliter ex coniectura in medium profertur.[52]) Sed nescio, num unus ex iis certum habeat fundamentum, quo coniecturam comprobare possit. Huius quoque operis pauca atque brevissima tantum fragmenta exstant, ita, ut non minus de hoc carmine incerti simus, quam de ceteris Macri poematis. Id tantum ex Ovidii, Manilii, Catonis ll. cc. elucet, poetam non tam herbarum descriptionem, quam earum virtutum laudationem versibus confecisse.[53]) Libellus ille „de viribus herbarum“, qui diu sub Macri nomine circumferebatur, non huius poetae est, sed potius Gaudentio Merula teste (L. I de antiq. Gallor. cisalpinor. c. 11 p. 279 Ital. illustr.) Odonis cuiusdam medici, cuius nomen Macri nomini cesserit, ut gratius exiret in lucem opusculum.

Aliud argumentum carmine didascalico inter sodales Ovidianos **Gratius** tractavit, quem Naso ex P. IV, 16, 33 sic laudat: (cum...)

„Aptaque venanti Gratius arma daret,“

quae verba ad versum carminis Gratiani 23:

„Carmine et arma dabo venanti et persequar artem
Armorum“ cet.

spectare clare apparet.

De poeta ipso, qui rei cynegeticae versibus describendae atque explicandae operam navavit, nihil compertum habemus, cum praeter Ovidium nemo veterum aliquam eius mentionem fecerit. Nihilominus Wernsdorfii (l. c. tom. I, p. 4 sq.) mihi arridet opinio, haud sine probabilitate coniicientis, Gratium natu servum fuisse, cui fortasse, — id quod in usu erat[54]) — venandi labor impositus fuisset. Quam operam Gratium fortasse domino ita praestitisse, ut non solum „Gratii“ nomen meritus esset, sed etiam artibus liberalibus institutus et post manumissus ausus esset, artem, quam profiteretur, versibus

[51]) Alia fragmenta huius carminis servaverunt Isidorus orig. XII, 4, 24 et grammaticus de dub. nom. V, 576; 592, 20 (K.).

[52]) cfr. Unger: l. c. p. 11.

[53]) Ex hoc Macri poemate fragmenta sumpta esse coniecerim, quae Charis. p. 72, 17 et p. 100, 33 affert. Alia fragmenta ex carminibus Macrianis non expresse citatis reperiuntur apud Servium in Verg. Aen. I, 435; Schol. Bern. Georg II, 160; Charis. 65, 7; 107, 4.

[54]) cfr. Sall. Cat c. 4.

explicare. Qua de causa, si res ita esset, ut Wernsdorfio placet, non veri dissimile videtur, hunc poetam eundem esse, atque Claudium Gratium, Augusti libertum et Liviae Augustae servum quondam a cyatho, cui fortasse etiam venatio curae fuerit. Id quidem optime explicet, quod libertum in coetu poetarum ad Maecenatem convenientium videmus. Cognomen, quod poetae vulgo tribuitur „Falisci" ob carminis Gratiani v. 40 certius ei datur, quam ob C. Barthii auctoritatem, qui ex codice suo, aliis ignoto, hoc cognomine primus Gratium donavit.

Carminis, ad quod Ovidius l. l. alludit, fragmentum 541 versuum exstat, quod poetam mediocris ingenii prodit, ieiunam aridamque materiam nudis verbis tractantem.[55]) In versuum structura Vergilii[56]) et Horatii[57]) studium ostendens in re venatica Xenophontis de eadem re libello usus esse neque alios, imprimis graecos auctores, neglexisse videtur, qui in eadem re exponenda ingenium posuerunt. Quamquam poeta, ob rem singularem, quam versibus persecutus erat, Augustea aetate in aliquo honore fuit, tamen eam ipsam rem, quae nemini, nisi venandi studioso, voluptatem praebere possit, causam fuisse credibile est, cur pauci tantum carmen legerint, et poetae nomen paene oblivioni traditum sit. Itaque sane mirum est, quod hoc carmen, certe plurimis ignotum, ad nos pervenit, cum multa nobiliora poemata fortunae invidia nobis prorsus amissa sint.

In poetis didascalicis Germanicum quoque Caesarem commemorare mihi placet, quem, quamquam Arateis Phaenomenis non ante annum 767 a. u. c. operam eum dedisse credibile est,[58]) tamen iam antea, cum adulescens esset litteris perquam deditus, cum viris suae aetatis litterarum studio nobilibus, etiam cum Ovidio patriae nondum experte, consuetudinem habuisse coniicere est consentaneum.

Laudem eius bellicam, gratiam, quam inierat apud Augustum et populum, exitum vitae immaturum atque tristissimum, hic, ubi de poeta acturus sum, commemorasse tantum sufficiat.

Ovidius in epistula ex P. II, 1, Germanico missa, nihil de principis studiis litterariis in medium proferre potuit, quia poeta, cum haec epistula tempore inter aestatem a. 13 p. Chr. n. et aestatem anni sequentis composita sit,[59]) de Germanico Arateis carminibus operam navante nihil scivit. Qua de re certior factus esse videtur, cum a. 16. p. Chr. n. epistulam Suilio scripsit, privignae coniugi et Germanici in Germania vel in oriente quaestori, cuius intercessione apud Caesarem poeta salutem atque reditum in patriam se impetraturum esse sperabat. Multa enim in hac epistula ad Germanici studia litteraria, Aratea opinor, spectant; neque laudatione inde

[55]) De natura ac forma carminis videas, quae disputata sunt a Wernsdorfio p. l. m. I pp. 6 sqq.
[56]) cfr. vv. 427 sqq. 479 sqq.
[57]) cfr. v. 348 (Horat. Serm. II, 1, 58).
[58]) cfr. Merkel: praef. ad fastos Ovid. p. CCLXVI
[59]) cfr. Woelffel. l. l. p. 2053 sq.

a v. 65, neque eo, quod versu 34 carmine, fastis suspicor, gratum se esse futurum pollicetur poeta, opinio mea improbatur. Nam cum Suetonio Calig. 3 teste, Germanicus „inter cetera studiorum monimenta et comoedias graecas reliquerit," ita, ut inde quoque „doctus" appellari possit, tamen in memoriam revocem, Germanicum ipsum interpretationem Phaenomenon „primitias docti laboris" appellare, Ovidium ergo, ubi primum de studiis eius doctis dicit, de Arateorum carminum tractatione cogitare potuisse. Huc accedit fastorum dedicatio ad eundem principem, ex quo recte coniicere mihi videor, Ovidium fastos dicantem Germanico eius studiorum astronomicorum habuisse rationem, cum ipse, fastos cum componeret, ad eiusmodi studia aggrederetur necesse fuisset.

Atque id ipsum aliquantulum fortasse conferret ad controversiam, utrum Germanicus Arateorum carminum, quae supersunt, interpres esset, necne, dicudicandam, nisi haec quaestio, olim imprimis per Rutgersium var. lect. I, 2, c. 9 p. 123 Domitianum potius ex versu 2 sq. auctorem esse coniicientem, excitata et a Grauerto Mus. Rhen. v. I, p. 359 sq. defensa, iam Merkelii (prol. ad Ibin p. 379) refutatione ita dirempta esset, ut nunc Germanicus, Drusi filius, vulgo auctor putetur.

Exstat enim sub titulis „Claudii Caesaris Arati Phaenomena" et „Aratus Germanici ad Augustum" latina interpretatio carminum Arateorum, digna, quae Augusteae aetati accenseatur, quaeque „Phaenomenon" 725 versus, „Prognosticon" sive „Diosemeion" 200 circiter versuum fragmenta continet. Eundem Aratum iam antea Ciceronis ingenium, post Germanicum Rufii Festi Avieni movisse, res satis nota est. Cum autem Cicero adulescentulus Graecos aemulandi atque linguae latinae ad graecam elegantiam evehendae causa ad Arati Phaenomena aggressus sit, ita quidem, ut linguae unius rationem haberet, Avieno fabulae magis placerent, quam rerum astronomicarum studium: Germanicus iudicii libertate, studio, facultate poetica utrumque superavit, quae virtutes effecerunt, ut magis paraphrastes Arati, quam interpres appareat. Itaque non mirum videtur, quod Germanicum a poeta graeco haud raro, neque in levissimis tantum rebus, discrepantem videmus. Atque differentiae attinent ad prooemium, quod Germanicus praemisit, ad fabulas quasdam ab Arato non tactas, ad dispositionem, denique ad errores, quos ab Arato ex libris posteriorum rebus astronomicis vacantium commissos esse cognovit. Quibus de causis cum Josepho Frey Germanici Phaenomena quasi novam Arateorum editionem multisque locis mutatam atque emendatam appellare liceat.[60])

De Sabino poeta, ad quem nunc transeamus, pauca tantum certo in medium proferri possunt; nam, cum praeter Ovidium omnes veteres auctores prorsus de eo taceant, ne nomen quidem poetae plenum no-

[60]) J. Frey: epist. critica de Germanico Arati interprete Culmae 1861 p. XXIV.

vimus. Ex Sabinis, qui ab aliis scriptoribus laudantur, quosque enumerare longum est ac supervacaneum, cum ab Augusti temporibus plus minusve distantes a re nostra alieni sint, eum tantum commemorabo, qui illis temporibus fuit, Sabinum illum, quem Horatius ep. I, 5, 27 epularum puellarumque amantem appellat. Sed de Sabino Horatiano viri docti inter se dissentiunt, cum altera pars amicum intellegit Ovidianum, altera Sabinum Tironem, qui, Plinium nat. hist. XIX, § 177 si sequimur auctorem, librum cepuricon Maecenati dicavit.

De nostro igitur Sabino ab omnibus auctoribus destituti ex Ovidii carminibus, quasi ex uno fonte eoque exigue fluenti, haurienda nobis sunt, quae in medium proferri possunt.

Ovidius primum amici mentionem facit Am. II, 18 v. 27—34, quo ex loco elucet, Sabinum cum Nasone et intima amicitia et simili litterarum studio coniunctum, illis temporibus, quibus poeta Sulmonensis praeter „Amores" Heroidum quoque epistulas composuerit, eidem materiae operam dedisse, viros respondentes facientem feminis, quas ille (sc. Ovidius) scribentes finxerat. Sed cum de poetis didacticis agamus, hoc loco de Sabino epistularum auctore taceamus, et potius vertamur ad alterum locum, quo Ovidius de amico vita iam defuncto eiusque carminibus mentionem facit. Legimus enim ex P. IV, 16, 13 sqq.:

„Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen,
Errantem saevo per duo lustra mari,
Quique suam Troezen (?) imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus."

Nasonem primo et secundo versu epistulas adumbrare, quas supra commemoravi, satis liquet; non item, quale carmen indicet corruptus ille titulus „Troezen", quo in exhibendo codices vehementissime inter se fluctuant. Atque profecto, lectionum varietatem: Trisemem, Trimesem, Trisam, Trosemem, Crozimem, Trocren, Troien, C⁰ylen, aliaque adspicientibus nobis non mirum videbitur, quod viri acumine excellentissimi operam in hoc versu restituendo ponentes tandem professi sunt, vix aliquid, quod omnibus probaretur, reperiri posse.

Non meum est, omnes de hoc difficillimo loco opiniones virorum dd. enumerare atque perpendere; sufficiat, potiores affere, primo loco Micylli, qui, sententiis suo tempore de hoc loco exstantibus refutatis, mirum sibi videri ait, quod poeta, cum de ceteris sodalibus singulis tantum versibus meminerit, de quibusdam etiam singulis commatibus, in Sabino laudando totum consumpserit tetrastichon. „Equidem" pergit v. d. „ut liquido fatear, non superiora illa, de quibus modo diximus, sed et ipsum proprium in posteriore pentametro positum, prope modo tamquam supposititium ac nothum suspectum habeo."

In his erravit me quidem iudice vir doctus, quod locum interpolatum esse censuit. Nihil enim video causae in eo, quod Ovidius in Sabino commemorando tetrastichon consumpsit — id quod non

fecit in aliis — cur locus suspectus habendus sit. Primum enim Sabinus consuetudine atque amicitia artius Ovidio devinctus videtur esse, quam ceteri poetae in eodem carmine nominati. Deinde accedit, quod poeta, de quo agimus, in duobus carminum generibus imitator erat Ovidii. Quid igitur mirum, quod ille in amico et aemulatore laudando diutius moratur, quam in ceteris?

Nicolao Heinsio, viro de Nasonis carminibus optime merito, probabile videbatur, in voce corrupta nomen puellae a Sabino amatae latere, quam igitur poeta similiter carminibus celebrasset, atque Ovidius Corinnam. Sed lectio „Thymelem" quam vir ille doctissimus in textu integro stetisse coniecit, codicum scriptura non probatur. Eidem de voce corrupta opinioni favent J. Chr. Jahnius in dissertatione „de Ovidii et A. Sabini epistulis" Lipsiae 1826, in ea nihil ad difficultatem expediendam afferens, et Woelffelius ad l., qui codicis Bernensis lectione: „c⁰ylen" nisus „Corylen" integram lectionem esse suspicatur. Quamquam, id quod non ignoro, Κόρυλος, nomen proprium generis masc. invenitur, itaque ex analogia Κορύλη defendi potest, tamen, cum cuncti codices contra Bernensem unam eandemque vocem adumbrent, lectionem unius libri haud tam magni aestimaverim, ut cunctorum librorum testimonio praeferendam eam esse putarem.

Alii viri dd. lectionem „Troezena", ab Heinsio in textum receptam, tuentes opinantur, hic titulum carminis epici latere, quae opinio, cum Sabinus in epicis poetis recenseatur, vero propius accedere videtur, quam eorum, qui carminis amatorii titulum hic opinantur. Atque Glaeserus, Mus. Rhen. n. I, p. 439 admonet, Troezena esse Thesei patriam; res autem a Theseo illic gestas, priusquam Athenas ad Aegeum patrem venisset, materiam, quae carmine epico tractaretur, non indignam fuisse. Cum Glaesero, lectionis Heinsianae fautore, Haubius l. l. p. 35 convenit, monens de ordine, quo Ovidius in poetis recensendis usus sit, quemque ipse saepissime in hac commentatione commemoravi. Quamquam concedo, hanc opinionem de genere carminis, cuius de titulo quaerimus, summam prae se ferre probabilitatem, quia causa opinionis ex ordine poetarum petita refutari non potest, tamen in lectione retinenda cum iis eam ob causam non faciam, quod, si de titulo operis ab urbis nomine derivato cogitandum esset, potius „Troezenida" esset scribendum.

Ab his viris doctis plane discedit Merkelius, qui praef. ad fast. p. CCLIV locum ita sanare vult:

„Qui sua heroon interruptumque dierum
Destituit celeri morte Sabinus opus.

Vir ille doctissimus intellegit, ni fallor, lectione a se in medium prolata epistulas heroum heroidibus rescribentium, de quibus iam supra mentionem fecimus. Sed si res ita esset, languida eiusdem operis iteratio inesset loco, quae tamen, cum in optimi poetae carmina interdum irrepat, fortasse ferri posset, nisi coniectura illa ab omnium codicum scripturis nimis abhorreret.

Quartae denique opinionis auctor Roeperus est, qui putat „Chrysen“ fortasse scripturam huius loci esse genuinam. Itaque Sabinus, ut in aliis poematis aemulator est Ovidii, ita in hoc carmine Pacuvii vestigia pressisse videretur, quem tragoediam huius tituli reliquisse constat.

Mihi de hac re cogitanti alia opinio aliquid probabilitatis habere videbatur, quam, quantum scio, nemo adhuc in medium protulit. Nihil enim obstat, quin ponamus, Sabinum nostrum eundem esse, atque Sabinum Tironem, quem librum cepuricon scripsisse scriptumque Maecenati dicasse iam supra commemoravimus. Mirum enim esset, si Ovidius Sabinum Tironem, qui certe in societate illa virorum studio litterarum coniunctorum erat, nusquam laudasset, cum de aliis poetis, iisque minoris, ut videtur, momenti, saepe multa verba fecerit. Quodsi veri simillimum videtur, Sabinum Tironem amicum esse Nasonis, facile ad opinionem ducimur, nostro loco titulum libri cepuricon latere.

Sed quamquam me coniecturam opinioni meae aeque bene, atque libri optimi lectioni „Trisemem“ respondentem in medium proferre non posse profitendum mihi est, itaque alios moneo, ut de hac re ultra inquirant, tamen me iuvat, aliam coniecturam a M. Hertzio, viro doctissimo, mecum communicatam affere, quam longe optimam earum esse censo, quae adhuc propositae sunt. Hertzius enim legendum esse coniicit:

„Quique suam Thressen imperfectumque dierum cet.“

ad quam lectionem illustrandam locum citat Ovidianum Heroid. XVIII, 99 sq.:

„Interdum metuo, patria ne laedar et impar
Dicar Abydeno Thressa puella toro.“

Cum enim versimile sit, Sabinum ad omnes epistulas Heroidum ab Ovidio compositas responsiones heroum scripsisse, vir illustrissimus censet, per „Thressen“ epistulam Herûs ad Leandrum esse intellegendam, quae sane, cum ab heroum epistulis secernenda esset, etiam separatim Ovidio fuisset commemoranda. Itaque cum diversi generis epistulae laudentur, languidam iterationem, qua Merkeliana coniectura displicet, hic non reperias.

Quamvis autem res sic se habeat, nulla re, ne ea quidem, quod Sabinus in poetis epicis recensetur, prohibemur, quin poetam didacticis poetis inseramus. Namque ea re neglecta, quod in voce corrupta titulus libri cepuricon inesse potest, opus dierum nos movet, ut etiam Sabini in didacticis poetis mentionem faciamus. Quale enim opus intellegendum sit „opus dierum“, Glaeserus docet l. c. locos laudans Ovidianos fast. I, 101 et fast. III, 77, unde carmen illud imperfectum imitationem fuisse fastorum Ovidianorum cognoscimus. Qua de causa, cum eiusmodi carminibus tractetur argumentum quodammodo historicum, carmina eius generis proxime accedunt ad epica poemata. Quid igitur mirum, quod Sabinus locum in epicis poetis nactus est?[61])

[61]) cfr. p. 46.

Priori huius commentationis parte si Romanorum studium epicorum carminum excolendorum satis intelleximus, contra id, quod Romani omnia consilia factaque ad vitae usum dirigere solerent, poematis lyricis condendis quam maxime obstitisse facile persuasum nobis erit. Qua de causa antiquissimis temporibus, quantum illa cognoscere possumus, poemata lyrica nunquam composita esse videmus, nisi quid accidisset, quod ad vitae condicionem aliquam referri posset. Quid igitur mirum, quod veterum Romanorum lyrica poesis diu inter carmina sacra, lugubria, convivalia, aliaque eiusmodi carmina se continebat? Sed praeterea iam una poemata cavillationis causa composita circumferebantur, quam carminum lyricorum speciem, cum non tam animum, quam mentis aciem provocet, naturae atque indoli Romanorum, ad omnia severe iudicanda propensae, maxime arrisisse et ob eam causam imprimis floruisse haud iniuria credamus.

Itaque, ut ei primum tribuam locum, quod Romanorum maxime proprium est, rem propositam ita persequi mihi placet, ut primo loco de iis poetis disseram, qui animum mentemque ad res externas observandas converterint observatasque versibus perstrinxerint, id quod in lyricis poetis a satirarum, iamborum, epigrammatum auctoribus fieri censeo; deinde de elegiographis, post de bucolicis poetis, denique de carminum melicorum auctoribus cum Ovidio sodalicii iure coniunctis agam.

Atque de singulis poetis acturo mihi placet, priusquam ad rem ipsam progrediar, paucis historiam uniuscuiusque speciei carminum lyricorum, suo cuiusque loco, adumbrare, quo, quem locum singuli poetae inter poetas eiusdem generis usque ad Ovidii aetatem obtineant, clarius eluceat. Itaque, de uno satirarum auctore ex Ovidii sodalibus disputaturi, breviter antea historiam huius carminum speciei exponamus eorumque poetarum mentionem faciamus, qui ante Horatium eiusmodi poematis operam navaverunt componendis.

Atque non in animo habeo, de satura scaenica, quae ante Attellanas exodii munere fungebatur, quaeque prorsus ignoratur, multa verba facere. Haec satura post Livii Andronici tempora, cum magis magisque de scaena recedere coepisset, denuo recepta est ab Ennio, qui primus carmina composuit „saturarum“ titulo exornata, non agenda, sed legenda, qui tamen huius poesis ita rationem habuit originis, ut partim dialogo in satiris uteretur.[62]) Ennii in hac re vestigia Pacuvius pressisse videtur, sororis poetae Rudini filius, qui, Diomede a. gr. III p. 485 teste, iuxta avunculum satiris locum obtinuit. Post Ennium praeter M. Terentium Varronem maximam laudem satiris Lucilius, eques Romanus, meruit. Hic enim, omni pedestri oratione remota, imprimis versu heroico usus primus in scelera civium acerbe invehere et in rebus ad rem publicam aut ad litteras spectantibus

[62]) cfr. Vahlen: Ennianae poesis rell. Lipsiae 1854 pp. 155 et 162. — Quintil. inst. or. IX, 2, 36.

quasi censoris munere fungi ausus est. Qua in re tam aliis[63]) quam Horatio facem praetulit, Romanorum elegantissimo satirarum auctori.

Atque, ne nimis acta agere videamur, hunc notissimum poetam, qui ex coetu vatum Ovidio aequalium[64]) unus[65]) nobis occurrit satirarum auctor, commemorasse tantum sufficiat. Neque ob eandem causam plura verba de Horatio iamborum auctore faciemus, sed potius ad eum transeamus, qui in sodalibus Nasonis praeter Horatium iambis operam dedit componendis.

Praeter poetam Venusinum, qui inter Romanos poetas post Furium Bibaculum, Catullum, Calvum carminibus maledicis in singulas personas operam navavit condendis, ad idem poesis genus excolendum ex sodalibus Ovidianis, Nasone Trist. IV, 10, 47 teste, Bassus aggressus est, qui l. c. „iambis clarus" et „dulce convictus membrum" appellatur.

Hunc Bassum eundem esse, atque illum, quem Propertius I, 4 alloquitur, facile coniicitur, quamquam ex elegia l. potius ut laudator puellarum pulchritudine insignium, quam vituperator acerbus evadit. Magnam, me quidem iudice, probabilitatem prae se fert Teuffelii litt. Rom. 3 p. 542 opinio coniicientis, nostrum poetam non diversum esse a rhetore Julio Basso, quem Seneca controv. X praef. 12 commemorat, cuiusque orationum specimina ab eodem Seneca controv. I, 6, 2—6. 7, 8 sq. memoriae traduntur. Improbabilis autem est J. Bapt. Fonteii (de prisca Caesiorum gente I, c. 19.) coniectura, Bassum Ovidianum cum Caesio Basso, Persii amico et lyricorum poetarum post Horatium nobilissimo[66]) confundentis. Namque cum inter Bassum et Ovidium artioris amicitiae vincula exstitisse videantur, coniecerim, illos aetate, quam in amicitiis aliquantum valere sat constat, haud diversos fuisse. Sed ne coniecturam coniectura fulcire videar, contra concedatur, longissimum triginta annorum spatium inter utriusque originem fuisse — id quod minime probabile est — ita, ut Bassus, Ovidio in exilium eunte, circiter annum vicessimum secundum egisset, mortemque anno 79 Vesuvio erumpente subiens nonagesimum annum superasset. Ex quo, si ita res se haberet, necessario sequeretur, ut Bassus sexagenarius fere senex cum Persio admodum iuvene amicitia coniunctus fuisset, id quod ob tantam aetatis differentiam non crediderim.[67])

[63]) Varro Atacinus (Hor. Sat. I, 10, 46.) L. Abucius (de nomine cfr. Hertz an. phil. 107, p. 337) (Varro de re r. III, 2, 17; 6, 6) Sevius Nicanor (Suet. gram. 5, p. 104 R.) Lenaeus (Suet. gram. 15) Jul. Florus (Hor. ep. I, 3; Porphyr. ad Hor. ep. I, 3, 1.).

[64]) cfr. Trist. IV, 10, 49 sq.

[65]) De Rabirio satirarum auctore a Fulgentio de abstr. serm. s. v. abstemius laudato, videas Hauptium Mus. Rhen. III, pp. 308 sq.

[66]) Quintil inst. or. X, 1, 96.

[67]) cfr. Hertzberg: quaest. Propert. p. 20. — De Osanno ad Apuleium p. 66 „Battum" scribente ac defendente videas Weichertum: de Lucii Varii cet pp. 139 sq. et Merkelium: P. Ovidii Nas. Tristium libri quinque et Ibis p. 264 adn. ad v. 47.

Jambographis proxime accedunt epigrammatum auctores. Atque in magno epigrammatum romanorum numero diversae species commemorandae sunt. Primo enim loco ea laudanda sunt epigrammata, quae in monumentis sepulcralibus legebantur, quibusque similia sunt epitaphia Naevii, Ennii, Plauti, Pacuvii. Neque alius generis inscriptiones fuisse videntur, quas M. Terentius Varro et T. Pomponius Atticus in viros illustres composuerunt. Altera epigrammatum species maledica est atque ad rem publicam spectat. Eiusmodi enim epigrammatis perversitates eorum, qui quas partes publicas agebant, paucis iisque acerbissimis verbis cavillabantur. Talium epigrammatum auctores L. Calvus, Catullus, Furius Bibaculus fuerunt, cum Valerius Aedituus, Porcius Licinus, Calvus, Catullus in hoc genere non minus insignis, Hortensius, alii, epigrammatis amatoriis, quae tertio loco commemoranda sunt, eminuisse ferantur. Quarta denique species, ad litteras spectans, re publica labente florere coepit. Cum enim permulti poetarum romanorum Graecos imitari incepissent, alii autem vetere via ingredi pergerent, hic diversus status poetas impulit, ut utrimque, alius alium alterius factionis, epigrammatis persequerentur.

Atque talium epigrammatum auctorem in sodalibus Ovidianis eundem Domitium Marsum fuisse, de quo iam supra disputavi, facile coniicimus ex Philargyrii ad Verg. Eclog. III, 90 loco, ubi scholiasta epigramma Domitii Marsi de Bavio poeta eiusque fratre servavit.[68]) Unde colligere liceat hunc poetam etiam alios adversae partis poetas probrosis versibus perstrinxisse. Namque per Martialem II, 7; II, 77; prooem. ad lib. I. Domitii aemulum se profitentem certiores fimus, poetam, de quo agimus, apud Romanos ob epigrammata magni esse aestimatum. Cui Martialis testimonio eo maior habenda est fides, quo magis constat, aemulationem saepissime detrectationis matrem esse. Opinionem, quam in medium protuli, confirmatam videmus epigrammatum fragmentis de Orbilio et Q. Caecilio Epirota, quae Suetonius de ill. gr. cc. 9 et. 16 servavit. Haec omnia epigrammata litteraria, Philargyrio l. c. teste in uno libro collecta exstabant, cui titulus „Cicuta" erat. Cum hunc libellum poetis illusis non minus odiosum fuisse credibile sit, quam cicutae odor et sucus omnibus hominibus esse solet, Bergkii coniectura, librum illum „Scutica" inscriptum fuisse, inutilis videtur omnique carens fundamento. Quamquam enim concedo, hanc contumeliosi libri nominationem non ineptam fuisse futuram, tamen nego, fragmentum apud Suetonium gr. c. 9, quod Bergkius coniecturae suae advocare videtur, nos cogere, ut Philargyrio titulum boni sensus praebenti diffidamus.[69])

Epigrammatis Domitii Marsi eiusdem poetae fabellas similes fuisse coniicio, de quibus Charisius I, p. 72, 4 K., nonum earum librum laudans, unus ex grammaticis mentionem facit. Cum, quid fabellis

[68]) cfr. Philolog. XIII p. 222 sq. XIV p. 217. XIX p. 150. Mus. Rhen. XV pp. 132. 152 sqq. XVIII pp. 476 sqq. 633 sq. An. phil. 99. p. 268.

[69]) Alia fragmenta ex Cicuta Domitiana versus videntur esse apud Priscianum V, 41 p. 168, 16 H. et apud Diomedem I p. 319, 13 K.

tractatum sit, brevitate fragmenti l. c. exhibiti cognoscere prohibeamur, coniecturis longissimum spatium hic patet. Atque Weichertus p. l. rell, p. 263 cogitat de imitatione Musaei vel Parthenii, cum Jo. Ger. Vossius (op. vol. IV l. I c. 16 p. 25) opinatus, illud opus fabulosas narrationes complexum esse, Marsum historicis Latinis inserat. Concedo, nullam utrumque refutandi ansam praesto mihi esse; id tamen silentio non praetermittam, Weicherti opinionem, fabellas „elegiacis versibus“ contextas fuisse, locum non habere, quia ex dimidio hexametro a Charisio l. c. servato cognosci non potest, utrum fabellae ex hexametris continuis, an ex distichis elegiacis constiterint. Equidem de poetae fama, quam ille ob epigrammata obtinebat, cogitans coniecerim, ne fabellas quidem felle vacuas fuisse, quo Cicuta abundabat, idque eo magis contenderim, quia etiam a nostris scriptoribus fictis narratiunculis epigrammatum acerbitatem admixtam esse video.

De Albinovano Pedone (cfr. p. 12 sq.) epigrammatum auctore perpauca monenda sunt, quae unus Martialis quaerentibus nobis praebuit. Qui, cum Pedonem identidem (prooem. ad l. I; II, 77; V, 5;) cum Marso consociet, ea ipsa re docere videtur, inter eos ingenii similitudinem fuisse, quae fortasse causa artioris amicitiae fuerit. Ceterum, ne hoc quidem sicco pede transeam, narratiuncula apud Quintilianum VI, 3, 61 ingenium Pedonis ad facetias promptum atque habilissimum prodit.

Denique similibus poematis, Capellam operam dedisse scribendis coniectura assequamur. Quem quidem ab Ovidio ex P. IV, 16, 36 „imparibus modis verba claudentem“ laudatum Paldamus R. Erot. p. 77 elegiarum auctoribus accenset. Sed virum doctum fugit totius epistulae dispositio, quae Ovidium quater de elegiarum auctoribus mentionem facere vix passa sit. Quod poetam fecisse cum improbabile videatur, equidem, ne quis epigrammatum auctor in extrema Ponticarum desideretur, Capellam epigrammatis operam dedisse componendis credere malim. Sed de his poetis hactenus.

Iam transeamus ad eos poetas, qui aptius „lyrici“ appellari nobis quidem videntur, quam ii, de quibus modo disputavimus; quamquam illi quoque lyricis poetis in universum accensendi sunt.

Atque primum venio ad elegiarum auctores coetus Ovidiani, qui numero inter lyricos poetas maximi sunt. Haec carminum species a Romanis tam aliena erat, ut nunquam, nisi ultimis rei publicae liberae temporibus exerceretur. Propterea, cum ad eiusmodi carmina condenda aggredi vellent, eos etiam in hac re ad Graecos recedere necesse erat. Quos autem poetas imitandos sibi sumere poterant, nisi Alexandrinos, quorum carmina iisdem fere condicionibus nata, quas Augusto regnante apud Romanos extitisse videmus, lascivia et oratoriorum flosculorum copia et morum luxuria Romanorum indoli maxime probari consentaneum est? Alexandrinorum poetarum auctoritas ut Romam invaderet, et Caesar et Octavianus — ille amore, quo captus erat Cleopatrae, hic bello Aegyptio — effecerant. Itaque iam Caesaris temporibus Q. Valerium Catullum Alexandrinorum vestigia prementem

videmus. Quod cum modo haud sane absoluto fecerit, Gruppio facile assentiemur, eleg. Rom. p. 347 contendenti, ante Catullum apud Romanos elegiam non fuisse exercitam. Sed pauca elegiarum monumenta Catulliana iam variam ostendunt rationem elegiae post Catullum excultae: romanam, qua summam Tibullus meruit laudem et graecam, cui Cornelius Gallus et Propertius, ad quem nunc transeamus, operam dederunt excolendae.

De Propertio Asisiani, ab Ovidio A. a. III, 333, Trist IV, 10, 45 V, 1, 7 laudati, ingenio atque facultate poetica certius, quam de ceteris inter sodales Ovidii poetis elegiacis, iudicare possumus, cum quattuor elegiarum libri sub nomine eius nobis traditi sint. Nihilominus autem, cum multi viri docti de hoc poeta latius scripserint, ne ligna in silvas inferre videar, paucis tantum notare volo, quem locum Propertius inter suae aetatis poetas elegiacos obtinuerit. Atque diversis de hac re opinionibus Paldami R. Erot. p. 62 et Gruppii Röm. Eleg. p. 338 praetermissis, qui viri docti una cum Hertzbergio quaest. Prop. p. 60 inter se dissentiunt, nihil habeo, quod egregio Mauricii Hauptii iudicio de Propertio (op. II, p. 102) addam. Disserit enim l. c. vir illustrissimus de Cynthiae laudatoris dignitate hisce verbis: „Est enim Propertius sane quam eximius Tibullumque, tenuem et simplicem poetam, ubertate et varietate, ingeniosam Ovidii levitatem veritate et pondere sententiarum, utrumque mentis inflammatione et caelesti illo instinctu, sine quo Cicero grave plenumque carmen fundi posse negat, longe multumque superat; sed idem non audax tantum est in figuris et verbis, verum saepe durus oratione et nonnunquam in conectendis sententiis subobscurus.“

Minoris momenti, quam Propertius, in elegiis condendis Domitius Marsus (cfr. pp. 27 et 43) fuisse videtur, id quod, quamquam hac in re certum de eo iudicium afferri non potest, inde tamen collegerim, quia Ovidius eum Trist. IV, 10, 51 sqq. silentio praetermisit. Marsum autem etiam lyricis poematis aliquid valuisse, cum illud de Tibulli morte epitaphium suavissimum, tum Martialis testimonium comprobat VII, 29 dicentis:

„Testile, Victoris tormentum dulce Voconi
Quo nemo est toto notior orbe puer:
Sic etiam positis formosus amere capillis
Et placeat vati nulla puella tuo:
Paulisper domini doctos sepone libellos
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Maecenati Maro cum cantaret Alexin
Nota tamen Marsi fusca Melaenis erat.“

Quo ex epigrammate nihil elucet, nisi Melaenida, puellam fusco cutis colore versibus a Marso celebratam esse. Plura coniicere totius epigrammatis natura vetat. Credibile enim est, Martialem Marsum cum Marone, se ipsum cum Marso conferentem, dignitatem tantum atque auctoritatem utriusque poetae respicere. Itaque de genere carminis Domitiani, de quo agimus, aliquid certi opinari non potest,

quippe quod Marsus, si Martialis naturam poematis incerti significare voluisset id comparans cum eclogis Vergilianis, eodem carmine et eclogarum et epigrammatum auctor evaderet, siquidem totius comparationis rationem habere volumus. Qua de causa, fragmentis deficientibus, prorsus in ambiguo est, utrum Melaenis, ut puella pastoralis, similiter atque Alexis a Vergilio, bucolicis poematis, an, ut vulgo putatur, elegiis celebrata sit.

Poetis elegiacis Sabinum quoque accenseo, quem iam supra commemoravi, quemque Ovidianas „heroides" imitatum esse Naso ex P. IV, 16, 13 sqq. et imprimis Am. II, 18, 27—34 auctor est, amici sic mentionem faciens:

„Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus
 Scriptaque diversis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis
 Legit ab Hippolyto scripta noverca suo:
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae:
 Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest:
Tristis ad Hipsipylen ab Jasone littera venit:
 Det votam Phoebo Lesbis amata lyram."

Ex his epistulis tres sub Sabini nomine nostram aetatem vidisse putabantur: Ulixis epistula ad Penelopen, Demophoontis ad Phylliden, Paridis ad Oenonen, quae, quamquam ab Ovidio non directo commemoratur, tamen ad eundem Sabinum haud iniuria referebatur, cum illum etiam alias epistulas Ovidianis respondentes composuisse probabile sit. Quae tres epistulae, cum inelegantem atque inhabilem rationis Ovidianae ostendant imitationem, inde a saeculo decimo sexto p. Chr. n. ineunte multis viris doctis spuriae videbantur. Sed haec suspicio, cum ex opinione virorum dd. nata esset censentium, amicum Nasonis eodem ingenio praeditum fuisse necesse esse, atque Ovidium ipsum, cuius ab ingenio et dicendi ratione tres illae epistulae ita distarent, ut vix Sabini, poetae ingeniosissimo studiis atque amicitia coniuncti, esse possent, facile refutari potuit. Itaque haec quaestio adhuc fortasse in controversiis esset, nisi ab O. Jahnio eph. Darmstad. a. 1837 n. 77 et a Glaesero Mus. Rhen. n. I, p. 439 res ita patefacta esset, ut iam dubium non sit, quin epistulae ll. non a Sabino Ovidiano, sed potius ab Angelo Sabino, viro docto, Romano quidem, sed saeculo decimo sexto vitam degente, compositae sint.[70]

---

70) Nostris diebus, ne hoc silentio praetermittam, Sabinum auctorem elegiarum Propertianarum libri IV, 1 (vv. 1—70) 2, 4, 6, 9, 10 Dominicus Carutti statuit in libro: „Propertii Cynthia cum libro quarto, qui Propertii nomine fertur", Hagae Comit. a. 1869 edito. Liber l. mihi non praesto erat; sed Carutti opinionem intellexi ex brevi de hac re appendice ad Christ. Lütiohanni commentationes Propertianas, Kiliae 1869 p. 104 sq. Vir doctus omnia libri quarti carmina, undecimo tantum excepto, Propertio aliudicans, poemata supra c., quibus urbis Romae periegesin fastorum Ovidianorum modo Propertius coepit condere, eam ob causam p. XXXIV sq. Sabini esse putat, quod Sabinus ab Ovidio ex P. IV, 16 vv. 15 sq. operis dierum imperfecti auctor commemoretur. Quamvis audax sit opinio, tamen fortasse ferri

Aliquam laudem elegiis compositis Proculus quoque meruit, de quo poeta „molle Callimachi iter tenente" Ovidius ex P. IV, 16, 32 mentionem facit. Hunc poetam fortasse Valerium Proculum esse Vergilii ex alio patre fratrem (cfr. Donat. Vit. Verg. c. XV § 56) Osanno ad Apul. p. 21 coniicienti, cum temporum ratio nos non prohibeat, credere licet, non item cetera, quae ab eodem viro d. l. c. disputata sunt. Osannus enim, ut Apuleii, nomina Antimachi et Callimachi confundentis, relationem defendat, ex qua Proculus carmen „Lydes" nomine inscriptum et 140 libros complectens ad exemplar Antimachi composuerit, ad hoc carmen, ab Apuleio tantum poetae, de quo agimus, tributum, locum refert Catullianum 95:

„Parva mei mihi sunt cordi monumenta.....
 At populus tumido gaudeat Antimacho",

quo Osanno iudice satis eluceat, Antimachi „Lyden" populo notam fuisse, neque quidquam ergo obstare, quin tractatio carminis Antimachei Proculo ab Apuleio tributa, eidem accenseatur. Sed ea re omissa, quod vix probabile videtur, Proculum praeterea Callimachi imitatorem fuisse, id quod Ovidius, certissimus de hac re auctor, testatur, Osannus id neglexit, quod a Nasone in extrema Ponticarum epistula nulli, nisi poetae aequales recensentur, quorum amicitia aut consuetudine, Romae cum vivebat, usus est. Cum autem, Osanno si fidem habemus, Proculus iam ante Catulli mortem c. a. 700 a. u. c. carmina Lyden celebrantia publici iuris fecisset, necesse esset: Ovidius poetam, de quo agimus non magis contubernalibus inserere potuit, quam Varronem Atacinum.[71]

Itaque de Proculo in eo acquiescendum nobis est, quod de eo tradit Naso, qui de ceteris quoque elegiarum auctoribus a me nunc commemorandis unus auctor est.

Atque Fontanus, a Nasone ex P. IV, 16, 35 laudatus, teste Ovidio amores naidum et satyrorum cecinit. Itaque Woelffelius l. c. p. 2233 arbitratus, hos deos ad bucolica potius carmina vergere, Fontanum bucolicis poetis adnumerare mavult. Quamquam haec Woelffelii opinio eclogis Vergilianis aliquantulum comprobatur, tamen, quominus ei assentiar me prohibet vis, qua Ovidius amoribus naidum et satyrorum cantandis Fontanum operam dedisse significat, quaque commoveor, ut potius de elegiis cogitem. Nam ne id quidem, quod vir doctus contra Baehrium a meis partibus stantem affert, fore, si elegiarum auctorem Fontanum habuissemus, ut duplex esset mentio elegiae, quippe quam v. 32 Ovidius iam commemorasset, ad sententiam nostram refutandam valet, quia meo iure similiter contendere possem, si res ita esset, ut Woelffelio placet, Ovidium bucolicos poetas bis attigisse. Versum autem 34, quem Woelffelius, ut hanc difficultatem

---

posset, dummodo Caruttius carmina, de quibus agitur, non a Propertio composita esse certis causis comprobasset. Quod cum non fecerit, Lütiohannius autem, quod ad originem carminum attinet, egregie ei adversetur, vix quemquam, cui persuadeat, Caruttium inventurum esse opinor.

71) cfr. Paldamus: R. Erot. p. 77.

fugiat, artificiosissime emendavit et interpretatus est, ad poetam quendam bucolicum spectare, non ad satirarum aliquem auctorem, ut vir doctus censet, infra accuratius demonstrabimus. Tantum me quidem iudice abest, ut elegiacum poesis genus denuo laudetur, ut nova huius generis species adiungatur,[72]) quae ab elegiis Callimacheis diversa, deorum silvestrium amores celebrans aptissime cum carminibus bucolicis, venaticis, argumenta ad naturam spectantia celebrantibus, coniungitur.

Restat denique ut Montanum et Marium nominem, quorum utrumque elegiis condendis operam navasse Ovidius ex P. IV, 16, 11 sq. et 14 refert, de quibus autem omnes veteres auctores tacent, quamquam, si Ovidio fides habenda est, in aliquo honore fuisse videntur.[73])

Iam nobis inquirendum est, qui sodales Ovidiani bucolicis carminibus componendis vacaverint. Haec carminum lyricorum species ab indole Romanorum non minus aliena erat, quam elegiarum. Itaque eiusmodi carmina, quae apud Graecos primum composita fuisse novimus, iis demum temporibus a Romanis condita sunt, cum Graecorum imitatio in flore erat. Nihilominus carmina bucolica apud gentem Martigenam nunquam in magna gratia erant. Namque praeter Vergilium, Theocriti primum eumque malum imitatorem romanum et Codrum quendam et, si placet, „Dirarum“ auctorem, nemo illis temporibus talia carmina composuisse videtur, uno tamen adiecto, de quo Ovidius ex P. IV, 16, 33 sic mentionem facit:

„Tityrus antiquas et erat, qui pasceret herbas.“

Hanc lectionem ab editoribus epistularum Ponticarum ante Kornium exhibitam, falsam esse neque integram, primo obtutu liquet, quippe quod ex grammatices praeceptis scribendum potius fuisset „et esset“, hic autem coniunctivus prosodiae versui accommodatae repugnat. Quis autem dicet, codices hoc loco quam maxime inter se discrepantes si adspexerit, quid hoc versu fiat? Praeter Woelffelium l. c. p. 2233 neminem novi, qui latius de hoc loco restituendo disputavit. Itaque, ut eius opinionem, quidque veri in ea insit, quid falsi, cognoscamas, virum d. audiamus, rem sic explicantem: „Die Stelle ist offenbar sehr verderbt. Ich habe die Uebersetzung dem ohngefaehren Sinne der auch von Merkel gegebenen Lesung anzupassen gesucht. Demnach stünde Tityrus, der Name des Hirten in Virgils erster Ecloge, für diesen Dichter selbst, und waere das bucolische Gedicht durch diesen Vers repraesentiert. Allein wenn schon an sich

[72]) Videas praefationem ad hanc commentationem p. 2.

[73]) Erravit Paldamus l. c. p. 77. Ponticum cum dicit a Propertio I, 9 in numero poetarum elegiacorum habitum esse. Equidem ex carmine Propertiano l. nihil aliud intellego, quam, poetam adhortari tantum amicum, amore puellae devinctum, ut, severo genere epico neglecto, tristes istos i. e. antea despectos et parvi aestimatos (cfr. eleg. I, 7.) libellos grataque cuique puellae carmina componat. Errorem Paldami ex falsa vocis „istos“ interpretatione fluxisse suspicor. cfr. Herzbergii adnot. ad locum tom. III p. 35.

unwahrscheinlich ist, dass unter diesen Dichtern Virgil mitgenannt sei, und hier am Ende der Reihe als Bucoliker, statt unter den Epikern, so verstaerkt sich diese Unwahrscheinlichkeit noch dadurch, dass v. 35 offenbar auf das Hirtengedicht zu beziehen ist, dieses also doppelt repraesentirt waere, die Satire dagegen ganz fehlen würde. Ich möchte daher vermuthen, dass die letztere hier bezeichnet werden wollte und zu lesen sei: „Tityrus antiquas satira superaret acerba“ oder: „antiquas satira cum pasceret herbas“. Schwerlich ist aber Tityrus etwas Anderes, als ein fictiver Name des Dichters, der, als dorische Form für Satyros, wenn man an iene faelschlich dem Valerius Cato zugeschriebenen Dirae denken will, sehr gut auf Cornificus passen würde und Merkels Vermuthung (ad Ibin p. 365) nur bestaettigen koennte. Hatte sich aber der Dichter iener Dirae auf dem Titel selbst Tityrus genannt, — ein angenommener Name, der um so raethllicher erscheinen musste, da das Gedicht (vv. 83 sqq.) gegen die Machthaber Octavianus und Antonius gerichtet ist, und der sich überdies als ein Schelmstück des Rivalen gegen Virgil (Eclog. I, 1) ansehen liesse, so dürfte sich hieraus auch zur Genüge erklaeren, wie durch Missverstaendniss schon sehr frühe die Dirae gerade den Virgil'schen Gedichten angehaengt werden konnten“

In his, quamquam non sine acumine excogitatam esse sententiam concedo, maximam partem cum Woelffelio non faciam. Vergilium quidem hoc loco non intellegendum esse, liquet; sed non intellego, cur vir d. eam ob causam neget, versum laudatum ad carminum genus bucolicorum referendum esse, cum, id quod supra attigi, certe praeter Vergilium alii exstiterint poetae, bucolicis poematis noti, ex quibus unus ab Ovidio laudari potuit. Haec causa ergo non valet, neque magis id, quod Woelffelius Fontani rationem habens contendit, fore, ut carmina bucolica, si nostrum quoque locum ad ea retulissemus, bis a poeta commemorata essent. Cum enim nihil obstet, quin Fontanam elegiarum auctorem fuisse ponamus, hic Woelffelii ad Fontanum regressus ad rem certo explicandam omnio nihil confert. Quod denique ad nominis interpretationem attinet, concedo quidem viro doctissimo, „Τίτυρον“ idem valere, atque in dialecto dorica „Σάτυρον“; sed vix crediderim, neque exemplum, quo comprobaretur opinio, apud romanos auctores investigare potui, hanc nominis Tityri notionem unquam a Romanis usurpatam esse, qui, quantum equidem compertum habeo, Tityri nomine ex Vergilii ecloga I iis notissimo, ea tantum, quae ad pastorale quiddam referri poterant, significare solebant. Namque hoc nomine aut pastor aliquis denotari solet (Verg. eclog. VIII, 55), aut bucolica Vergilii carmina (Ovid. am. I, 15, 25), aut Vergilius ipse (Prop. II, 34, 72. Verg. Eclog. VI. 4), nusquam autem satirarum auctorem quendam sic nominatum reperiamus.

Quamvis igitur sagax sit coniectura Woelffelii de Cornificio cogitantis, tamen Tityri nominis usu satis refutata est. Accedit denique — atque hoc gravissimum censeo — quod Woelffelius locum interpretaturus et emendaturus offensione tantum ductus est, quod in

epistula illa satirarum auctores deessent, librorum manuscriptorum rationem habuisse videtur paene nullam. Itaque, ne ipsi eodem modo labamur, primum videamus, quae libri manuscripti exhibeant, deinde inquiramus, quomodo locus sanandus sit et interpretandus.[74]) Atque ex variis lectionibus infra adiectis maximam fidem habet codicis Bavarici lectio:

„Tityron antiquas passerque rediret ad herbas“

eiusque ergo locum emendaturis maxime ratio habenda est. Sed ne hanc quidem lectionem integram esse, primo obtutu non minus liquet, quam, eam, cunctis collatis, ex omnibus unam levissime laborare. Ac primum quidem non intellegitur, quid sibi velit accusativus „Tityron“ pro nominativo, quem sententiarum nexus postulat. Causa erroris, qui alicui scribae debetur, inesse videtur in sequenti syllaba „an“, quae in auribus legentis scribentisque sonans eum ita decepit, ut „us“ in on“ mutaret. Clarius rem sic se habuisse eluceret, nisi vox quoque „passerque“, appositio ad illud nomen proprium, corrupte tradita esset. Sed ne huius quidem vocis restitutio difficilis videtur, quoniam Tityri mentionem facile ad opinionem ducimur, voci corruptae „pascendi“ vel „pastoris“ notionem infuisse, id quod ipsa forma vocis „passerque“ admodum comprobatur. Itaque Kornius in editione sua ad l. proposuit coniecturam, ut mihi quidem videtur, probabilissimam:

„Tityrus antiquas pastorque rediret ad herbas“,

quae opinio, cum optime conveniat cum constructione sensu postulata et cum optimi codicis scriptura, coniecturis ab Heinsio, Withofio, Roepero in medium prolatis longe praeferenda est.

Loco igitur, quantum fieri potuit, restituto iam quaestio est, quomodo interpretanda et ad quem poetam verba Ovidiana referenda sint.

Kornius suam sententiam in medium proferens, recedit ad Vergilium Eclog. VI, 4 et 5, ubi poeta, Tityri nomine se ipsum significans, fingit, se ab epicis carminibus componendis ad oves pascendas et ad carmina pastoralia canenda, Apolline admonente rediisse, et Eclog. IX, 23 sq., ubi de Tityro in agro remanente dicitur. Quibus

l'recubasse refertus 2. et erat, qui gigneret 2

74) Tityron antiquas passerque rediret ad herbas. — tytirus (tityron) antiquas et erat, qui pasceret herbas. (Parisin. 7993. Parisin. 8239, cod. Moreti pr. u. l. cod. Gudian. H.) — t. a. e. e. q. diceret herbas. (cod. Lipsiensis). — titiron a. e. e. q. viveret h. (cod. Erfurtanus.) — tityrum et antiquas recubasse referret ad umbras. (cod. Moreti.) — t. et antiquas recubasse refertur ad herbas. (cod. italus a Bersmanno collatus.) — recubasse referret ad aras. (cod. sine nomine ab Heinsio citatus.) — l'erat qui gigneret (nonnulli codices ab Heinsio sine nomine laudati.) — tityros aeternos caneret qui procreet herbas. (cod. sine nom. ab Heinsio cit.) — Tityrus antiquis armentaque pasceret herbis, coni. Withof. — Tityron aprica recubantem pangeret umbra, vel: Tityron aprica recubasse referret in umbra, vel: Tityron apricus recubasse referret ad umbras, coni. Heinsius. — Tityrus antiquas pastorque rediret ad herbas, coni. Kornius. — Tityron Andinasque esset qui diceret herbas, coni. Roeperus. T. agricolas armentaque pasceret herbis: H. A. Koch, symb. philol. Bonnens. p. 358.

locis a Kornio notiones „redeundi“ et „antiquarum herbarum“ explicari putantur. Sed in his a partibus viri docti stare non possum, quia de Vergilio hic cogitari omnino non potest. Ob eandem causam etiam coniectura Roeperiana refutanda mihi videtur, ea re omissa, quod vir doctus etiam nimis a libro Bavarico recedit.

Qua de re, cum Vergilium a coetu poetarum Ovidiano excludere debeamus, iam quaerendum nobis est, utrum versus, de quo agimus, ad aliquem poetam, praeter Vergilium bucolicis carminibus nobilem et nomine quidem nobis notum spectet, an ab accuratiore loci interpretatione desistamus necesse sit.

Atque de Codro, Vergilii in carminibus bucolicis rivali poeta, cogitandum esse, vix crediderim, quod Codrum eodem fere tempore eclogis condendis operam navasse constat, atque Vergilium. Itaque loco ad Codrum relato, neque „antiquae illae herbae“ neque „redeundi“ vox magis explicarentur, quam, si cum Woelffelio Cornificium hic laudatum esse vellemus, cui Vergilii obtrectatori et in carminibus bucolicis aemulatori non studium tantum litterarum, sed etiam patriam Mantuanam cum Marone communem fuisse Merkelius ad Ibin p. 365 statuit.

Nostri loci sensum animo reputanti mihi non dubium est, quin versui l. relatio quaedam ad Vergilum insit, sed non talis, qualem viri docti supra nominati statuunt. Tityri nominis per Vergilium Romanis notissimi rationem si habemus, nos fugere non potest, Ovidium hic poetam designare, cuius in eclogis Tityrus alias herbas grege depaverit, quam pastor ille Vergilianus, quem Maro in Andinis pascuis pecora ante se agentem fingit. Quid autem Ovidium „antiquas“ herbas commemorantem designare voluisse censeamus, nisi illas, ad quas Tityrus, priusquam in novas regiones i. e. ad Romanos translatus sit, pecora agere soleret? Itaque mihi placet, locum nostrum ad Theocriti imitatorem romanum referre, qui carmina bucolica graece condens, Tityrum fortasse ad antiquas herbas i. e. ad Siculas redeuntem fecit.

Atque talem poetam in Romanis M. Valerium Messallam fuisse accipimus, quem Ovidius, cum usque ad mortem viri illius clarissimi a. 9 a. Chr. n. amicitia cum eo se coniunctum fuisse ex P. I, 2, 27—30 profiteatur, suo iure aequalibus poetis recensere potuit.[75]) Illum autem carmina bucolica graece scripsisse, cognoscere possumus ex Cat. Verg. XI, 13—24, ubi poeta quidam Messallam sic alloquitur:

„Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua tum sale Cecropio,
Carmina, quae Pylium saeclis accepta futuris
Carmina, quae Pylium vincere digna senem.

75) Messallam quoque in coetu poetarum apud Maecenatem, itaque Ovidii sodalem poeticum fuisse. per Horatium Sat. I, 10, 85 docemur. cfr. Serv. z. A. 8,310 c. Hertzio anal. ad carm. Hor. hist. III p. 11 sq. adn. 5. De vita Messallae vid. Graeberum l. c. p. XVII sq.

Molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
Moeris pastores et Meliboeus erant,
Dulcia iactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriae doctus amat iuvenis.

* * *

Si laudem adspirare, humilis si adire Camenas
Si patrio Graios carmine adire soles... et q. s.

Haec verba nihil aliud significant, quam, Messallam bucolica carmina scripsisse atque in iis condendis lingua Graeca usum esse.[76] Si autem haec carmina ratione Theocritea composita erant, id quod, cum poeta lingua graeca usus sit, veri simillimum videtur, Ovidius suo iure contendere potuit, Tityrum illis carminibus ad antiquas herbas sive in arva Sicula rediisse.

Sed de hac re hactenus. Quaestionem nunc habeamus de poetis coetus Ovidiani melicis. Carminum genus melicorum ultimis rei publicae liberae temporibus excoli coeptum est, cum graecarum litterarum cognitio magis magisque hominum cultioris animi esset. In magno poetarum numero, qui diversis metris iisque graecis usi, carmina minoris momenti composuerunt, imprimis Laevius, Varro Atacimus, Calvus nominandi sunt, ad quos Catullus accedit, si aetatem spectamus, non ingenium, quo hic illos longe superabat. Poetam ingeniosissimum Q. Horatius Flaccus secutus est, nobilissimus Romanorum poetarum melicorum et Quintiliano inst. or. X, 1, 96 iudice „fere solus legi dignus“, quem autem Ovidius nusquam, nisi notissimo Tristium loco (IV, 10, 49) sic commemorat:

„Et tenuit nostras numerosus Horatius aures
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.“

Supersedeo de Horatio poeta melico verba facere, cum vix aliquid in medium proferre possem, quod non alii iam de eo scripserint. Id tantum adnotem, haec, quae attuli verba, discrepantiam quandam inter Horatium et Ovidium exstantem non prodere, — id quod autem Teuffelio R. Litt. 3, p. 438 adn. 5 placet — sed potius auctoritatem Horatii significare, imprimis lyricis carminibus famam gloriamque obtinentis. Itaque, cum ne ceteri quidem loci, a Teuffelio l. c. ad suam opinionem comprobandam advocati, apte in Horatium cadant,[77] poeta Sulmonensis suo iure ab illa simultatis suspicione liberari potest, praesertim, cum „inter omnes poetas nemo fere tam constanter Horatium referat“, quam Ovidius.

Quod poeta Venusinus rectissime omiserat, choros Graecorum, quomodo imprimis a poetis doricis compositi erant, ad Romanos transferre, qui, cum conditiones ad eius generis poemata cum aliquo fructu excolenda necessariae deessent, choros neque recte intellegere neque aestimare poterant, id ex sodalibus Ovidianis a Rufo quodam

[76]) cfr. R. Unger: comment. de Valgii poematis p. 305.
[77]) cfr. M. Herz: Anal. ad carm. Hor. hist. II p. 7 adn. 1 et 3.

susceptum esse videmus, qui, Ovidio ex P. IV, 16, 28 teste, ad Pindari imitationem ingenium convertit.

Difficile est iudicatu, num quis trium praeter Varium mihi notorum virorum Ovidii temporibus Rufi cognomen profitentium — Rufus, uxoris Ovidii consanguineus, Valgius Rufus, Antonius Rufus — hoc loco intellegendus sit. Cum autem Naso in epistula II, 11 Rufo affini ex Ponto missa, nihil de eius litterarum studiis commemoret, neque quidquam, quod ansam opinandi nobis praebeat, de Valgio tradatur, unus restat Julus Antonius Rufus, ad quem Horatius, ut eum ad canendas Pindaricis modis laudes Augusti excitaret, carmen IV, 2 scripsisse videtur. Sed de hac re aliquid certi dici non potest, quamquam Glandorpius in Onomast. ex Acrone, ut dicit, refert, Antonium Rufum Homerum et Pindarum vertisse. Sed cum Acro ad Horatii art. poet. hoc tantum adnotet: „praetextas et togatas scripserunt Aelius Lamia, Antonius Rufus, Cn. Melissus etc.“ veri simillima videtur Wernsdorfii coniectura p. l. m. III p. XXX sq. censentis, auctorem huius narrationis versus Ovidianos:

„Et qui Maeoniam Phaeacida vertit et una
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae,“

de uno poeta intellexisse, qui et Odysseam vertisset et imitator fuisset Pindari, et eundem, cum succurisset ei Antonius Rufus apud Acronem, temere existimasse, Acronem Rufum et Homeri et Pindari interpretem laudavisse. Itaque, cum res sic se habeat, in quaestione de Rufo Ovidii magnum coniecturis spatium pateret, nisi Augustus Reifferscheid in collectaneis novis (Vratisl. 1880) p. 6 sq. coniecturam in medium protulisset, qua haec quaestio dirimi mihi videtur. Vir enim doctissimus, loco Horatiano ep. I, 3, 9 sq.:

„Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?“

cum Ovidiano loco ex P. IV, 16, 28 collato, coniicit, cum ei non probabile videatur „duos eadem aetate poetas Romanos singulari prorsus studio, cuius nulla praetera exempla in litterarum historia Romanorum exstarent, cum Pindaro certasse“ Titium Horatii eundem fuisse atque Rufum Ovidii, illumque ergo Titium Rufum esse nominatum. Quam coniecturam v. c. l. confirmat demonstrans, Rufi cognomen a Titia gente non alienum fuisse.

Restat denique, ut de iis Ovidii contubernalibus disputem, quos dramatis compositis in aliqua gloria fuisse accipimus.

Ut gens Martigena in epicis ac lyricis carminibus condendis in universum Graecos secuta est, ita in dramatis quoque Romanos Graecorum vestigia prementes videmus, quamquam hoc poesis genus non minus, quam epicum, naturae atque indoli romanae accommodatum erat. Si enim

animi alacritatem, quae hominum meridionales terras incolentium est, respicimus, qua illi facillime ad loquendum et ad respondendum adiguntur, iam antiquissimis temporibus dramata, rudi quidem modo, apud Romanos exstitisse consentaneum est coniicere.

Atque coniectura multis illis ludis dramatici generis confirmatur, Fescenninis, Atellanis, saturis, mimis, qui, priusquam ad artem atque ad praecepta revocati sunt, iamdudum in usu publico erant.

Itaque non mirum est, quod, cum poesis Graecorum artificiosa ad Romanos transferri coepta est, primo loco poesis dramatica ad graeca exemplaria a romanis poetis excolebatur. Atque non tragoediis tantum, quorum vestigia ante Livii Andronici aetatem apud Romanos sunt nulla, inde a temporibus illius poetae diligentissime operam navabant Romani, sed iidem etiam comoediam graecam sub „palliatae“ nomine in deliciis habebant.

Qui primus fabulam docere ausus est, Livius Andronicus, graecas tragoedias in Latinum sermonem vertit. Neque quidquam aliud post illum Naevius, Ennius, Pacuvius fecerunt, quos ingenio quidem praestantes, sed arte rudes fuisse persuasum nobis erit animo reputantibus, temporibus demum illorum poetarum linguam Romanorum politiorem et arti magis convenientem fieri coepisse. Praeter illos, quos hactenus nominavi, poetas rei publicae liberae aetate ad tragoedias condendas incubuerunt imprimis L. Accius, deinde Atilius, C. Titius, C. Julius Caesar Strabo, Varro, Q. Cicero, Cassius Parmensis, Santra, Asinius Pollio, quorum ultimus proxime ad Ovidii tempora accedit et ab Horatio Sat. I, 10 nobilissimus suae aetatis tragoediarum auctor laudatur.

Praeterea, cum iam in arte progressus fecerint Romani, inde a Pacuvio poetae, qui graecas tragoedias transferebant, etiam domestica argumenta dramatice tractabant. Hae fabulae, personarum dignitate atque sublimitate tragoediis similes, ex vestimento actorum nomen „praetextarum“ sive „praetextatarum“ traxerunt et per omnia rei publicae liberae saecula una cum graeca tragoedia excolebantur. Num quis sodalium Ovidianorum praetextas fabulas condiderit, nusquam diserte traditur; sed tamen veri simile est, inter eos quoque fuisse, qui eiusmodi dramatis laudem meriti sint. Ii Augusteae aetatis tragici poetae, de quibus plus, quam nomen scimus, graeca argumenta tractaverunt. Atque princeps eorum est Lucius Varius Rufus, qui ab Ovidio inter aequales poetas una cum Graccho quodam ex P. IV, 16, 31 sic laudatur:

„Cum Varius Gracchusque darent fera dicta tyrannis.“

De Varii nomine hoc loco restituendo iam supra diximus. Ex tragoediis illius poetae — nam plures eum scripsisse Porphyrio ad Hor. carm. I, 6 auctor est — veteres auctores unum „Thyestem“ citare et summis laudibus efferre solent. Neque aliam Varii tragoediam in memoria Ovidii fuisse versum c. scribentis inde apparet, quod Naso poetam, de quo agimus, cum Graccho consociavit, qui Prisciano auctore tragoediam eiusdem tituli composuit. Tragoedia illa Variana,

quae Quintiliano inst. orat. X, 1, 98 iudice „cuilibet Graecarum comparari poterat,“ quam Tacitus dialog. 12 extr. illustrissimis aureae litterarum aetatis operibus adiudicat, quam denique Philargyrius ad Verg. Eclog. VIII, 10 omnibus tragicis praeferendam esse censet, primum, si fidem habemus auctori codicis cuiusdam Parisini varia scripta continentis, a. 725 a. u. c. mense Sextili, ludis triumphalibus acta et ab Octaviano tam benigne recepta est, ut poeta a Caesare decies sestertium acceperit.

Praeter Ovidium, nemo, quantum equidem scio, poetarum aequalium de Vario tragico poeta mentionem fecit, nisi forte Horatius carm. I, 6: „Scriberis Vario... nec saevam Pelopis domum“ et epicum et tragicum poetam significare voluerit. Sed illa laudatio Ovidii l. c. tragicum poetam non epicum praedicantis, sufficiat ad rumorem refutandum, tragoediam Varii notissimam non ab hoc poeta sed potius a Cassio Parmensi aut a Vergilio compositam fuisse.[78]) Namque inde, quod Naso in hac epistula, qua, inter quot quantosque poetas nomen habuerit, docet, Varium eiusdem poematis auctorem laudat, quod aut errore aut malignitate ei abiudicatum est, elucet, hanc fabulam Augusteae aetati plane ignotam fuisse.

Cum Vario, tragico poeta, Ovidius l. c. Gracchum quendam consociat, de cuius pleno nomine ex viris doctis alius aliam coniecturam in medium protulit.[79]) Cum probabile videatur, Gracchum e gente Sempronia fuisse, id quod Weicherto quoque placet, nihil obstat, quin ponamus, poetam, de quo agimus, illum Ti. Sempronium Gracchum esse, „familia nobili, sollertem ingenio et prave facundum“ quem Tiberio auctore in Cercina insula, ubi exul per quattuordecim annos vitam degerat, occisum esse Tacitus an. I, 53 narrat.

De causa, cur Ovidius, poetas sibi aequales recensens, Gracchum cum Vario coniuxit, iam supra dixi, de Vario primum mentionem faciens. Eundem poetam graecis studiis operam navasse, cum ex tragoediarum titulis nobis servatis, tum ex fragmentis exiguis, quae sub nomine eius traduntur, concludi potest. Tituli enim tragoediarum „Thyestes“, „Atalanta“ „Peliades“ a Prisciano[80]) et a Nonio Marcello[81]) traditi argumenta e Graecorum fabulis sumpta indicant, cum etiam versus servati, ad graecorum tragicorum rationem compositi, poetam graeca eruditione exstructum prodant.

Aliquam laudem dramatis condendis inter contubernales Ovidianos Turranius quoque meruisse videtur, a Nasone ex P. IV, 16, 29 sic laudatus:

„Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis“

De hoc poeta praeter Ovidium omnes auctores prorsus tacent. Apuleius quidem de orthogr. § 5 eum laudat ut auctorem tragoediae,

78) cfr. Welcker: trag. graeca etc. pp. 1405—1408.
79) cfr. Weicherto: de Lucii Varii etc. p. 168 sq.
80) Priscianus VI. p. 269, 8 H. ibid. p. 206, 11.
81) Non. p. 202, 20.

cuius titulus „Helena“ fuerit. Quae relatio, si vera esset, denuo romanorum tragicorum studia graeca comprobaret. Cum vero haec Apuleii relatio non pluris aestimanda sit, quam quidquid idem nebulo de ceteris Ovidii sodalibus finxerit, de Turranio disputantes ad Ovidium nos regredi necesse est, hunc poetam omnino in poetis dramaticis recensentem. Atque dispositionis ultimae Ponticarum epistularum rationem si habemus, veri dissimile videtur, Turranium laudari, quod eandem tragicae poesis speciem excoluerit, atque Varius et Gracchus. Itaque ad opinionem ducor, Turranium potius praetextas fabulas composuisse. Quae coniectura eo quoque confirmari mihi videtur, quod poetae Melissus opponitur, quem argumentis domesticis comice tractandis operam navasse statim explanabimus.

Ut Romani, postquam tragoediis in latinum sermonem vertendis artem tragoediarum condendarum usu didicerunt, ad domestica argumenta praetextis fabulis tractanda aggressi sunt, ita in commoediis quoque praeter palliatas, quas supra paucis attigi, togatas fabulas scripserunt, quibus argumenta ex vita Romanorum cotidiana perstringebantur. Quae species commoediarum imprimis a Titinio, Quinctio Atta, L. Afranio exercita non tantum per rei publicae liberae aetatem sed etiam cum Caesares Romam regebant, a populo romano magni aestimabatur neque a poetis aureae litterarum aetatis neglegebatur.

Num plures Ovidianae aetatis poetae eiusmodi commoediis scribendis eminuerint, poetis illius saeculi ac grammaticis tacentibus in medio relinquendum est. Unum autem ex iis, C. Melissum, togatis fabulis condendis operam navasse per Nasonem certiores fimus, poetam ex P. IV, 16, 30 sic commemorantem: „Et tua cum socco Musa, Melisse, levi.“ In ambiguo esse non potest, quin hic Melissus idem sit, atque ille, de quo Suetonius gram. 21 mentionem facit. Quo auctore Melissus Spoleti natus et ob discordiam parentum expositus cura atque industria educatoris insignem litterarum eruditionem accepit, qua imbutus apud Maecenatem grammatici munere fungebatur. Quamquam, cum iam Maecenatis erat, a matre assertus est, tamen in servitute permansit. Post a Maecenate manumissus etiam Augusti amicitiam adeptus est, quo delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviae porticu suscepit. Sexagesimum aetatis annum agens, cum homo esset facetus atque disertus, libellum „Ineptiarum“ sive „Iocorum“ scribere coepit, cui absoluto etiam alios libros diversi operis addidit. Ex quibus libellis unum illum „de apibus“ fuisse suspicor, sub Melissi nomine a Servio ad Verg. Aen. VII, 66 citatum et a viris doctis plerumque ad Aelium Melissum, grammaticum Neronianae aetatis, relatum. Probabile enim mihi videtur, auctorem, de quo agitur, cum servus esset, apum curam libentissime suscepisse et ob hoc negotium „Melissi“ nomen accepisse. Sed, ut res sic se habeat, libellus eius „Ineptiarum“ quo et Plinium[82]) et Donatum[83]) usos esse

[82]) Plin. nat. hist. in font. enum. ad libros VII, IX, X, XI, XXXV.
[83]) Donat. vit. Verg. 16.

veri simile est, posteris notior fuisse videtur, quam fabulae eius togatae, quarum novum genus condidit quarumque causa ab Ovidio laudatur. Suetonio enim l. c. teste Melissus „trabeatas“ scripsit, quas mediam inter praetextas et togatas dramatum speciem fuisse a viris doctis coniicitur.

Easdem trabeatas, quae nusquam, nisi apud Ovidium et Suetonium commemorantur, ab auctore panegyrici carminis in Pisonem vv. 227 sq. adumbratas esse, Lachmanno placuit, Hauptio opus c. I, 406 teste codicum scripturam incertam:

„Maecenas tragico quatientem pulpita gestu
Erexit Varium, Maecenas alta tonantis
Eruit et populis ostendit nomina Graiis,“

sic mutanti:

„Maecenas tragico quantientem pulpita gestu
Erexit Varium, Maecenas apta togatis
Eruit et populis ostendit acumina Gai

Quam coniecturam C. F. Weberus, novissimus panegyrici l. editor et Ungeri coniecturae „carmina vatis“ pro „nomina Graiis“ corrigentis defensor, acuminis plenam quidem appellat, sed non aptam. Adiectum esse vellem, cur vir doctus sic iudicaverit. Namque quod Ungerus censet, id quod viro docto libenter concedo, sententiam „Maecenas alta tonantis etc.“ ob Maecenatis nomen repetitum non de Vario dictam esse posse, me quidem iudice nos non cogit, verba c. cum Ungero ad Horatium versibus sqq. praedicatum referre, quoniam in corruptis vocibus nomen cuiusdam poetae latere potest. Atque hac consideratione Lachmannus ad coniiciendum permotus videtur esse. Cum autem nostro loco verba „alta tonantis“ quae partim ex coniectura nata et insuper insolite dicta sunt, a codicibus diverse exhibeantur, neque verba „nomina Graiis“ tolerabilem praebeant sensum, quis est, quin videat, utrumque locum coniecturis patere?

Itaque, cum auctorem panegyric icarminis hoc loco de iis poetis dramaticis cogitare appareat, qui Maecenate patrono populo Romano notuerint, facilis est ac blanda coniectura viri illius ingeniosissimi opinantis, in voce „Graiis“ nomen „Gai“ Melissi, Maecenatis libertini atque amici latere, quem nude „Gaium“ appellare poetae licuit.

Iam omnia contuli, quae de Ovidii poetae sodalibus indagare potui. Atque studia eorum in memoriam revocantes nos fugere non potest, multo maiorem partem poetarum ab Ovidio cum aliis locis tum imprimis ex P. IV, 16 laudatorum ad epicorum carminum genus incubuisse, quod Augusto maxime probatum fuisse in primis huius dissertationis paginis cognovimus, cum pauci tantum in carmina lyrica et dramata componenda sese converterint. Quos omnes, si Nasoni fidem habemus, Ovidiana aetate in aliqua gloria fuisse quamquam credibile est, tamen plurimi eorum, de quibus egimus, poetarum non tam ingenio suo, quam amicitia atque consuetudine, qua cum Ovidio coniuncti erant, nominis immortalitatem apud posteros adepti sunt.

Index sodalium Ovidii.

Vita.

Natus sum, Guentherus Otto Arthurus Hennig, a. d. VII Id. Dec. anno huius saeculi LII Lnianeckii, qui vicus Schwetzio, urbi Borussiae occidentalis ad Vistulam sitae, vicinus est, patre Guenthero, matre Clara, e gente Rochneriana. Dei clementia atque benignitate parentes adhuc in vivis mihi sunt. Fidem profiteor catholicam. A parentibus sedem mutantibus in incunabulis in Silesiam provinciam translatus, post, partim a fratre vita iam defuncto, partim in scholis publicis primis litterarum elementis eruditus, gymnasium adii Saganense auctumno anni h. s. LXIV, unde, maturitatis testimonium adeptus, auctumno a. LXXIII Berolinum profectus sum, ut, ex patris voluntate medicinae studiis operam dans, vestigia in iis premerem fratris bello Francogallico immatura morte mihi abrepti. Cum autem corporis infirmitate prohiberer, quominus stipendia mererem, in instituto, quod adulescentibus medicinae, imprimis militaris, studiosis patet, quoque iam receptum eram, locum habere non potui. Itaque meam sequens voluntatem eodem auctumno adii Universitatem Litterarum Viadrinam, ut studiis operam darem philologicis. Interfui lectionibus Hertzii, Reifferscheidii, Rossbachii, Diltheii, Elvenichii, Junkmanni, Neumanni (†), Partschii, Pfeifferi, A. Schulzii, Weberi, Weinholdii, quibus omnibus gratias quam maximas ago.

Seminarii regii philologici sodalis extraord. eram per duo semestria.

Hac occasione oblata facere non possum, quin omnibus fautoribus, qui gravissime ex valetudine per quattuor fere annos me laborantem consilio atque opere adiuvarunt, gratias quam maximas agam et promittam, me semper pio animo beneficiorum in me collatorum memorem esse futurum.

Theses.

1. Ovidius anno 9 p. Chr. n. relegatus est.
2. Elegiam Tristium l. IIII, 4 Cottae Maximo missam esse contendo.
3. Carolo Lachmanno assentior ad Tib. IIII, 2, 23 adnotanti, fortasse sic legendum esse:

   „Hoc solemne sacrum: multos hoc sumite in annos“.
4. Soph. Antig. v. 362 (N.) in verbis:

   „φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται“

   nihil mutandum esse censeo.